PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLII/FASC. III-IV
15 sept.-15 dec. 1953

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1953

FASCICULI
INDEX ANALYTICUS

CELEBRATIO QUATER CENTENARIA PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

« *Periodica* de re morali canonica liturgica », utpote quae a Professoribus huius Universitatis in lucem edantur, mentionem peractae celebrationis quater saecularis, brevem quidem, ut Periodicorum ratio exigit, omittere non possunt.

Die 8 Decembris anno 1952 Rector et Senatus nostrae Universitatis sollemnia quater centenaria celebranda indixerunt pro diebus 13-20 mensis Octobris anni 1953, statuentes sacros ritus quibus Deo grates agerentur, et doctos viros invitantes ad scientificum Congressum per illos dies habendum, in quo, pro diversis Universitatis Facultatibus, ea pertractarentur doctrinarum capita, quae peculiariter a nostrorum temporum hominibus praecipue agitantur.

Nostris vero coeptis annuens benigne Summus Pontifex Pius PP. XII, die 12 mensis Augusti epistolam misit peramantem pulcherrimamque ad Rev.mum P. Petrum M. Abellán, S. J., Pontificiae Universitatis Gregorianae Rectorem Magnificum. Cum vero lector eam in hoc ipso numero integram inveniat, satis erit hic eius initium exscribere, ubi totius celebrationis propositum optime declaratur : « Opportuno sane consilio voluit Pontificia Studiorum Universitas Gregoriana memoriam quarti expleti a sua constitutione saeculi sollemni celebratione frequentique alumnorum et doctorum virorum ex omni gente concursu, renovare, ut debitae primum Deo grates persolverentur pro tot tantisque beneficiis per haec saecula in se collatis, atque ut animorum coniunctio cum antiquis recentibusque alumnis cumque ceteris Academiis et Athe-

naeis, iis praesertim quae sacros administros instituendos curant, in commune bonum omni ope proveheretur ».

Post igitur sollemnem receptionem die 14 octobris in aedibus Capitolinis, sub vesperum diei 16 eiusdem mensis maxima pompa supplicatio fuit ad gratiarum actionem in Templo SS. Nominis Iesu, in qua sermonem habuit Excell.mus ac Rev.mus Dominus Carolus Confalonieri, S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus Secretarius, et augusto Eucharistiae Sacramento Benedictionem impertiit Em.mus ac Rev.mus Cardinalis Iosephus Pizzardo, eiusdem Sacrae Congregationis Praefectus et Nostrae Universitatis Magnus Cancellarius.

Die vero Dominico 18 Octobris Sacrum sollemni pontificali ritu in templo S. Ignatii peregit Em.mus ac Rev.mus Dominus Cardinalis Clemens Micara, SS. D. N. Pii PP. XII Vicarius Generalis, adstantibus Legatis Universitatum alumnisque omnibus. Die denique 20 Octobris Excell.mus ac Rev.mus Dominus Aloisius Traglia, Vicariatus Urbis Vicesgerens et Sodalicii Gregoriani Praeses, Sacrum pontificali ritu pro defunctis professoribus et alumnis fecit in eodem S. Ignatii Templo.

Quod autem ad scientificum Congressum attinet, vespere diei 13 Octobris in Aula Magna Universitatis sessio generalis habita est cum Legatorum participumque admissione, in qua P. Carolus Boyer Studiorum Praefectus rationem Congressus habendi declaravit et P. Petrus M. Abellán, Rector Magnificus, auspicalem habuit orationem. Congressus actus est diebus 14-16 mane et vespere, et absolutus vespere diei 17. Omnibus, qui interfuerunt, libellus traditus est, in quo ex ordine indicabantur res singulis diebus, in singulis sectionibus, propriis in aulis et certis in horis, pertractandae sive a relatoribus primariis sive in communicationibus. Die 17, hora decima, in aula Benedictionum, quae dicitur, in Vaticanis aedibus, admissio fuit et alloquium Summi Pontificis. Aderant omnes participes Congressus scientifici, Universita-

tum et Academiarum legati, Universitatis nostrae et Consociatorum Institutorum Professores et Alumni, Patres denique Purpurati et Excellentissimi Domini, quondam Universitatis alumni, ut Cardinales Micara, Aloisi Masella, Pizzardo Magnus Cancellarius, Excell.mus D. Montini Pro-Secretarius Status, Rev.mus P. Praepositus Generalis Societatis Iesu, Vice Magnus Cancellarius, alii. Summi vero Pontificis oratio, laude et doctrina praestantissima, suo loco integra edetur.

Tandem die 18 Octobris, hora 17,30, Congressus conclusio est facta per sollemnem sessionem academicam in Auditorio Palatii Pii, in qua, praesidente Em.mo ac Rev.mo Domino Cardinali Iosepho Pizzardo Magno Universitatis Cancellario, post verba Rev.mi P. Petri M. Abellán, Rectoris Magnifici, quibus gratum animum praesentibus omnibus aperiebat pro eorum collata quomodocumque opera, gratulationes suas fecerunt tres Universitatuum Studiorum legati, Bononiensis, Sorbonensis, Salmanticensis. Dein Rev.dus Pater Leo Hudon, S. J., nostrae Universitatis Secretarius Generalis, nomina legit Universitatum et Academiarum, quae nostrae Celebrationi bene adprecantes et gratulabundae adsenserunt. Tum Universitatem Gregorianam eloquentissima commemoratione celebravit Em.mus ac Rev.mus Dominus Cardinalis Iosephus Siri, Archiepiscopus Ianuensis, quondam eiusdem Universitatis alumnus. Postremo vero, Em.mus ac Rev.mus Cardinalis Magnus Cancellarius, lecta Summi Pontificis epistola, qua se Pontifex celebrationi peramanter consociabat praesentibusque benedictionem impertiebat, verbis aptis atque benignis memorabilem sessionem conclusit. Haec de externa rituum pompa.

Et iam breviter indicamus varias quaestiones, quae in sectionibus Theologiae et Iuris Canonici tractatae sunt, omissis iis, quae in aliis sectionibus sunt declaratae, quaeque alibi afferentur. Argumentum quintum Sectionis Theologicae, de quo horis 15,30 dierum 16 et 17 habita est

discussio, hoc fuit: « Hodierna conscientiae christianae problemata metaphysica, psychologica, theologica ».

Relationem primum habuit, reconditioris doctrinae plenam, Rev.mus P. Franciscus Hürth, S. J., Professor Universitatis Gregorianae et pernotus horum Periodicorum scriptor. Summa huius relationis, ab ipso auctore conscriptam, lector in hoc Periodicorum numero inveniet. Optima dein secuta est *communicatio* Rev.mi P. Iosephi Endres, C. SS. R., Professoris in Collegio S. Mariae Immaculatae (Geistingen) hac de re: « Die Bedeutung des neuzeitlichen Menschenbildes für den Gewissensentscheid ». Sequentis vero diei vespere, plures eruditae *communicationes* habitae sunt, quarum satis hic erit dare indicem: Rev.mus P. Ioannes Lucien-Brun S. J., Professor in Facultate Theologica Lugdunensi egit de « L'évolution de l'idée de justice ». Ill.mus ac Rev.mus D. A. Janssens, Professor in Universitate Catholica Lovaniensi, disseruit « De liceitate sic vocatae narcoanalyseos ». Rev.mus P. Ulpianus López S. J., Rector Seminarii S. Torquati (Granada) illustravit quaestionem de « Scientia et prudentia in formatione conscientiae ». Rev.mus P. Eduinus F. Healy S. J., Professor in Pontificia Universitate Gregoriana, declaravit « Quaestionem hodiernam de mutilatione ». Rev.mus P. Georgius Delannoye S. J., Professor in Pont. Univ. Gregoriana, disseruit de quaestione « L'amoralité constitutionnelle peut-elle être admise? ». Rev.mus D. Fuscus Vandelli (Firenze) lucem attulit huic argumento: « I moderni problemi metafisici, psicologici e teologici della coscienza cristiana nella loro scaturigine dall'Umanesimo e dal Rinascimento ». Denique Rev.mus P. Lucius Rodrigo S. J., Professor in Pontificia Universitate Ecclesiastica Comillensi (Comillas), selectas « Quaestiones de conscientiae » pertractavit.

Sectio vero Iuridica, cui partem habuerunt docti viri ex omnibus fere liberis gentibus huc advecti ad operam suam Congressui nostro navandam, ex omnium partici-

pum consensu plenum optatissimumque habuit exitum. Argumenta ad discutiendum proposita praesentes hominum necessitates tum speculativas tum practicas spectabant et, pro eorum momento, vehementer eruditasque disputationes exsuscitarunt. Ratio autem procedendi, eadem ac in ceteris sectionibus fuit: principalis relator conspectum generalem propositae quaestionis dabat, cuius postea tres quatuorve alii relatores aspectus particulares illustrabant; sequebantur *communicationes* et totius rei discussio.

Rev.mus P. Gommarus Michiels, O. F. M. Cap., Professor honorarius Universitatis Catholicae Lublinensis, cuius erat legatus, erudite ac facunde relationem generalem habuit de « Personalitate morali ex ipso iuris praescripto in C. I. C. Cum certa et definita enumeratio huiusmodi personarum in C. I. C. desideretur, relator eas rationes definire conatus est, quae tanquam criteria ad stabiliendam in singulis adiunctis illam personalitatem adhiberi possint. Dein Rev.mus P. Ludovicus Bender, O. P., Professor in Pontificio Athenaeo « Angelicum », docta perspicuitate thesim exposuit, secundum quam figura personalitatis iuridicae applicari nequit officiis non beneficialibus; Rev.mus vero D. Franciscus Arnold, Professor in Facultate Catholica Theologica Universitatis Vindobonensis, historiam nobis hucusque ignotam illustravit responsi recentissimi Commissionis I. C. die 22 iulii anno 1953 dati: « de personalitate iuridica dioeceseos ». Secuta est pugnax discussio de personalitate iuridica paroeciae, quam Rev.mus P. Michiels dicebat unice consistere in officio parochi, repugnante Ill.mo ac Rev.mo D. Florentino Romita, qui affirmabat plures in paroecia agnoscendas esse distinctas personas iuridicas; utroque tamen assentiente sententiae quasi mediae Ill.mi D. Marii Petroncelli Universitatis Neapolitanae, qui plures eiusmodi personas in una paroecia saltem consistere posse demonstravit.

In altero vero argumento discutiendo: « de condicione e qua pendet matrimonialis consensus » maxime ingenia iuridica fulserunt. In hac perdifficili re tractanda certarunt peritia summa Ill.mi ac Rev.mi D. Dini Staffa, Auditoris Sacrae Romanae Rotae, subtilitas Rev.mi P. Lucii Rodrigo S. J., Comillensis Universitatis Professoris, ingenii acumen Ill.mi D. Iosephi Dossetti, Professoris Universitatis Mutinensis, qui omnes acute disseruerunt de ipsius condicionis natura et notione, de affectu termini a quo et de figura contractus praeliminaris. Discussio praecipue fuit de natura iuridica earum relationum, quae exsistunt antequam matrimonium plenum suum effectum fuerit consecutum. Doctas pariter relationes de consimili argumento attulerunt Ill.mus D. Pius Ciprotti, Professor in Pontificio Athenaeo Lateranensi et Ill.mus D. Augustinus Origone, Professor in Universitate Tergestina.

Tertium argumentum, non prope dissimile, fuit de conditione iuridica earum causarum piarum, nostris temporibus frequenter occurrentium, quae personalitatem iuridicam nondum, saltem plene, sunt assecutae. Conspectum quaestionum in hac re surgentium, quaeque nondum ex praescriptis iuris canonici, sed tantum ex eius principiis solvi possunt, docte sane praebuit Rev.mus P. Raymundus Bidagor S. J., Decanus Facultatis Iuris Canonici in Pontificia Universitate Gregoriana. De variis autem figuris, quae in dies plures passim efflorescunt, retulerunt Rev.mus P. Adulphus Ledwolorz, O. F. M., Decanus Facultatis Iuris Canonici in Pontificio Athenaeo « Antonianum »; Ill.mus ac Rev.mus D. Gulielmus Onclin, Decanus Facultatis Iuris Canonici in Universitate Catholica Lovaniensi; Ill.mus D. Arnaldus Bertola, Professor in Universitate Taurinensi; Ill.mus D. Iosephus Forchielli, Professor in Universitate Bononiensi. Perpensus praecipue est conceptus in hac re fundamentalis ipsius causae piae, et specialiter intentionis supernaturalis ad eam requisitae,

cuius novam quodammodo interpretationem proposuerat Rev.mus P. Bidagor.

Quarto loco tractatum est « de relationibus inter potestatem administrativam et iudicialem in Iure Canonico ». Apposite ad hoc argumentum declarandum invitatus fuerat Ill.mus ac Rev.mus D. Nicolaus Mörsdorf, Director Instituti Iuris Canonici in Universitate Monacensi, qui pluribus iam editis scriptis eruditissimis primus hanc rem tractavit. Magna quidem perspicuitate varia elementa assignavit, in quibus distinctio inter utramque speciem et duplex unius eiusdemque potestatis ecclesiasticae exercitium apparet. Cum hoc autem generali conspectu rei, apte componebantur speciales relationes de distinctione inter « res » iudiciales et administrativas, de exercitio potestatis iudicialis per organa administrativa, et vicissim de exercitio potestatis administrativae in ambitu tribunalium. De his respective disseruerunt Rev.mus P. Servus Goyeneche, C. M. F., Professor in Pontificio Athenaeo Lateranensi; Rev.mus D. Carolus Lefebure, Professor in Institutis Catholicis Parisiensi et Insulensi; Ill.mus D. Corradus Bernardini, Professor in Pontificio Athenaeo Lateranensi.

Fructus permanens huius Congressus, praeterquam in omnium relationum editione, brevi tempore lucem aspectura, in desiderii expletione exsistet, quo plures participes teneri se dixerunt, statutis nempe temporibus habendi, si spei nostrae favebit Deus, huiusmodi eruditorum congressus, in quibus, collata omnium opera animoque sincero et aperto, gravissimae nostrorum temporum quaestiones agitentur, investigentur, solvantur.

EPISTULA SUMMI PONTIFICIS AD RECTOREM MAGNIFICUM NOSTRAE UNIVERSITATIS

DILECTO FILIO
PETRO ABELLAN
RECTORI MAGNIFICO
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE
PIUS PP. XII
DILECTE FILI
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Opportuno sane consilio voluit Pontificia Studiorum Universitas Gregoriana memoriam quarti expleti a sua constitutione saeculi sollemni celebratione frequentique alumnorum et doctorum virorum ex omni gente concursu, renovare, ut debitae primum Deo grates persolverentur pro tot tantisque beneficiis per haec saecula in se collatis, atque ut animorum coniunctio cum antiquis recentibusque alumnis cumque ceteris Academiis et Athenaeis, iis praesertim quae sacros administros instituendos curant, in commune bonum omni ope proveheretur.

Etenim, superiorum temporum res gestas recognoscentes, gratos in primis nos esse decet erga Deum, qui iactum medio saeculo decimo sexto a Sancto Ignatio semen ita voluit beneficiorum imbre irrigatum, ut saeculorum decursu quasi alta arbor in dies grandescens, viris recondita eruditione ornatis Ecclesiam Catholicam honestaverit, protulerit praeclara omnis doctrinae monumenta, ac lucem veritatis, alumnis ministris, in caligantem mundum late diffuderit.

Siquidem Gregoriana Universitas, quae est « Pontificium disciplinarum ecclesiasticarum *Studium* generale,

proxime subiectum auctoritati ipsius Summi Pontificis, qui eidem moderatur per Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus, rectionem vero et procurationem Societati Iesu commisit » (*Statuta,* a. 1, § 1), in eum nobilissimum finem est condita « ut esset in Urbe quoddam omnium nationum Seminarium, Ecclesiae continenter suppeditans electam doctorum copiam, qui genuinam Iesu Christi doctrinam Romae e sincerissimis fontibus haustam, una cum reverentia, amore, fidelitate erga Beati Petri Cathedram per totum orbem propagarent atque diffunderent » (*Statuta,* a. 1, § 2).

Haec autem et Studiorum et Alumnorum *universalitas,* haec integra semper erga Sedem Romanam fides, hic spiritus apostolicus in Dei ministris instituendis, eximiae sunt huius Universitatis proprietates, quae, cum illam quattuor iam saeculis ornaverint, nostra maxime aetate, Deo favente, decorant.

Enim vero Collegium Romanum, quod Sanctus Ignatius de Loyola humillimis quidem initiis, angusta in domo, sub Capitolino monte inchoaverat anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, iam post duos annos, cum adhuc sanctus eius conditor viveret, *Studium* generale factum est coniunxitque cum liberalibus artibus Philosophiae ac Theologiae disciplinas, quibus, facta a Romanis Pontificibus potestate conferendi gradus academicos aequo iure atque celeberrimae eius aetatis Academiae, Parisiensis nempe, Salmanticensis, Lovaniensis, Complutensis, verae Universitatis naturam induit. Additis tandem seriore tempore ex Summorum Pontificum concessu et munere, *Facultatibus* iuris Canonici, Historiae Ecclesiasticae et Missiologiae, consociatisque a Decessore Nostro fel. rec. Pio XI Pontificiis Institutis Biblico et Orientalium Studiorum, — his tamen proprio iure fruentibus — feliciter evasit, ut eiusdem Decessoris Nostris verbis utamur, « vera, perfecta pleneque ad temporum necessitates accommodata studiorum omnium ecclesiastico-

rum Universitas » (Pius XI, Motu Proprio « Quod Maxime », d. d. XXX mensis Septembris, a. MDCCCCXXVII).

Iure igitur meritoque factum est, ut « tot inter Athenaea in hoc christiani orbis centro feliciter erecta vel auspicato erigenda una proprii ac veri nominis Universitas seu omnium sacrarum disciplinarum studium generale et plenius fieret et apertius appareret », sicuti idem Decessor Noster habet in Litteris Apostolicis « Gregorianam Studiorum Universitatem » die XXI mensis Iunii, anno MDCCCCXXXII, quibus Nosmetipsi, eo tempore Cardinalis a publicis Ecclesiae negotiis munere fungentes, nomen subscripsimus, quasque nunc ad Romanam Cathedram evecti libenter confirmamus.

His porro veri nominis *Facultatibus,* aliae accessere ex Summorum Pontificum voluntate disciplinae in hoc Athenaeo tradendae, ut schola Theologiae Asceticae, Schola Superior Litterarum Latinarum, Altius pro laicis religionis Magisterium. Ac praeterea, ex Pontificum hortationibus, qui rerum socialium studium nostra aetate pernecessarium summa cura saepenumero inculcarunt, Institutum Socialium disciplinarum cum Philosophiae *Facultate* coniunctum, laudabiliter conditum est laetosque iam reddit fructus.

Nec modo *studiorum,* verum etiam *Gentium Universitas, iure* optimo potest Gregoriana Universitas appellari. Iam enim a principio ea fuit Sancti Ignatii mens Summorumque Pontificum voluntas, ut Collegium Romanum esset sacrorum administrorum seminarium, in quod adolescentes sacris initiandi ex omni orbe confluerent, ut, ad pietatem informati sacrisque eruditi disciplinis, quae hic didicissent, efficacius deinde in variis gentibus verbo spargerent et exemplo moribusque confirmarent. Itaque brevi factum est, ut studiosa variarum gentium iuventus Romae sua haberet collegia, Universitatis Gregorianae magistris operam datura. Et iam quadraginta clericorum *saecularium* collegia et octoginta Religiosorum

virorum Ordines et Congregationes suos ad hanc Studiorum Universitatem alumnos mittunt instituendos, quae mirabile proinde praebet unius universalisque Ecclesiae Catholicae exemplum. Hoc videlicet praeviderat fel. rec. Gregorius XIII Decessor Noster, cuius nomen accepit haec Studiorum Universitas, quique cum auspicali lapide novi Collegii summa munificentia exstruendi, nummi demitterentur voluit, ad rem procusi, et Pontificis propositum hisce insculptis verbis referentes: « Collegium Omnium Nationum, Omnium Nationum Seminarium ».

Quam uberes vero fructus ex hac Universitate Studiorum in Ecclesiae bonum exspectarentur, satis probarunt assidua et perpetua cura studiumque singulare, quibus statim ab initio Romani Pontifices hoc opus sunt prosequuti. Summa enim cum Apostolica Sede coniunctio et ex vicinitate et ex Magistrorum animis illius studiosissimis orta, de integritate doctrinae deque amore ac fidelitate erga Petri Successores spondebat. Nec decepta est exspectatio; siquidem alumni ex quavis regione, nullo habito religionis discrimine, Romani Collegii auditoria frequentarunt, et in patriam dein, studiis peractis, reversi, integram sinceramque catholicae fidei doctrinam praedicarunt, et amorem coniunctionemque cum Sede Apostolica promoverunt fortes ac fideles, fusoque haud raro sanguine consecrarunt.

Non sine ratione igitur Universitas Gregoriana, superiorum temporum monumenta evolvens, patronum suum Robertum Bellarminum delegit, praeclarum illum Ecclesiae Doctorem et Cardinalem, quem olim Professorem Rectoremque habuit; cuius ipsum nomen laborem sonat adsiduum Sedique Apostolicae obsequentem; cuius eximia doctrina et praeclara volumina « De controversiis christianae fidei » novam in re theologica viam aperuerunt iisque omnibus arma validissima pararunt, qui futuri erant post ipsum catholicae fidei assertores.

Bellarminum vero alii secuti sunt huius Athenaei

Doctores, qui recondita sua in sacris disciplinis eruditione egregiam dederunt operam Sanctae Sedi, sive in amplissimis gerendis muneribus, sive consultores adiuvando Sacra Ecclesiae Consilia, sive haud parum laboris conferentes ad eius insigniora acta paranda, ut fuerunt Calendarii reformatio a Gregorio XIII confecta, Vaticana Synodus Oecumenica, sollemnes definitiones dogmaticae de Immaculato Beatae Virginis Conceptu, deque eius gloriosa in Caelum Assumptione.

Hanc vero Professorum Alumnorumque in catholica fide tuenda integritatem, eorumque operam Sedi Apostolicae assidue ab iisdem praestitam, numquam Decessores Nostri non agnoverunt apertis verbis; quae quidem nunc in memoriam revocantes facimus nostra. Haec siquidem Leo XII in Litteris Apostolicis « Cum multa » die XVII mensis Maii, anno MDCCCXXIV datis, praeteritam recolens aetatem sollemniter asserit: « Cum multa in Urbe hac Nostra fuerint a Summis Pontificibus providentissime constituta, quae ad salutem et commodum Christiani populi maxime pertinent, eminet certe inter ea Romanum Collegium quod religioni et bonis moribus tradendis, ex fel. rec. Gregorii XIII liberalitate, molitione ingenti ac magnificentissima exstructum, insignia semper impensae sollicitudinis paternaeque dilectionis testimonia a Praedecessoribus Nostris omni aetate est promeritum ». Et expleto ab his prolatis verbis saeculo, Decessor Noster fel. rec. Pius XI, haec, quae sequuntur, asserere non dubitavit: « Recolentibus enim Nobis res ab Athenaei restitutione gestas, bene multa occurrunt unde comprobatur talem illius magistros operam Apostolicae huic Sedi per id temporis spatium praestitisse, quae omnem ipsius exspectationem abunde compleret » (Pius XI, Litt. Apost. « Ea inter opera », d. d. V mensis Maii, a. MDCCCCXXIV).

Cum autem idem Decessor Noster Pius XI statuit ut Magnus Cancellarius Pontificiae Universitatis Gregorianae et Pontificiorum Institutorum Biblici et Orientalis

cum eadem consociatorum, esset in posterum S. R. E. Cardinalis Praefectus pro tempore Sacrae Congregationis Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositae, hoc insigne benevolentiae pignus concessit « singularibus prorsus peculiaris subiectionis ac vigilantiae nexibus attentis, quibus Gregoriana Universitas Apostolicae huic Sedi ita iugiter devincta est atque etiam nunc, si unquam alias, devincitur » (Pius XI, « *Gregorianam Studiorum Universitatem* », Litt. Apost. d. d. XXI mensis Iunii, a. MDCCCCXXXII).

Hanc denique peculiarem Sedis Apostolicae potestatem in Universitatem Gregorianam, idem Summus Pontifex Pius XI iterum significavit, eam volens « in Lateranensibus quoque Pactionibus cum Regno Italico initis, qua Pontificiam rem agnitam peculiaribusque iuribus ornatam » (Pius XI, « *Gregorianam Studiorum Universitatem* », d. d. XXI mensis Iunii, a. MDCCCCXXXII).

Quae clarissima Romanorum Pontificum in Universitatem Gregorianam benevolentiae signa, caelestium donorum pignora ei semper exstiterunt.

Voluit enim Omnipotens Deus ex eius Alumnis, tam recte ad Sedis Apostolicae amorem et obsequium informatis, plurimos ex quavis mundi plaga ad episcopale munus evehere; voluit multos, qui ipsi Pontifici Maximo assisterent consilio, in amplissimum ordinem Purpuratorum Patrum cooptare; voluit ex his tredecim ad Supremi Pontificatus honores extollere, quorum nomina inter Pontifices praeclariores refulgent: Gregorium XV dicimus, Urbanum VIII, Innocentium X, Clementem IX, Clementem X, Innocentium XII, Clementem XI, Innocentium XIII, Clementem XII, Leonem XIII, Benedictum XV, Pium XI; voluit denique inscrutabili suae Providentiae consilio Nos etiam, qui iuvenili aetate scholas Gregorianas frequentavimus, ad Romanae Cathedrae fastigium perducere.

Ne vero nimii simus in viris illis recolendis, qui spectatae virtutis exemplo enituere, eos saltem Nobis liceat commemorare, qui Sanctorum coelitum honores habuerunt: Robertum Bellarminum, Camillum de Lellis, Leonardum a Portu Mauritio, Ioannem Baptistam De Rossi, Ioannem Leonardi, Aloisium Gonzaga, Ioannem Berchmans; quibus plurimi addendi sunt in Beatorum numerum relati, qui vel eximia virtutum omnium exercitatione excelluerunt, vel suo purpurati sanguine per vulnera et mortem praeclarum amoris testimonium erga Christum eiusque Ecclesiam dederunt.

Haec igitur Maiorum vestrorum praeclara virtutum et doctrinae exempla, vobis, Almae Matris Professores et Alumni, tutum ac gloriosum iter commonstrant, et ad illud pro viribus insistendum vehementer hortantur. Pergatis fovere in vestro Athenaeo studiorum et gentium universitatem, ut eius conditor et Romani Pontifices voluerunt et Universitatis nomen requirit; pergatis tenere perfectissimam doctrinae et caritatis unitatem, eamque perfirmam cum Petri Sede communionem defendere; pergatis apostolicum illum animum excolere et exercere, quo tantum Maiores Vestri valuerunt. Gloriatur merito Athenaeum vestrum pari semper gressu se doctrinarum progressiones persecutum esse, immutabili veritati mordicus haerens, in veri indagatione numquam iners. Heic longa humaniorum litterarum experientia et usus, mirabilem illum Codicem paravit, seu « Rationem Studiorum », quae fuit per saecula constante fama notissima; heic philosophiam perennem prudenter ceterarum disciplinarum progressibus aptastis, sancteque servato antiquorum theologorum thesauro, ad studium etiam SS. Patrum, Theologiae Moralis, Sacrorum Canonum, Historiae Ecclesiasticae vos contulistis.

Quare, cum Leo XIII, Decessor Noster imm. mem., innovare voluit Philosophiam et Theologiam per instauratum Angelici Doctoris doctrinae studium, fidissimis

eius sectatoribus voluistis annumerari. Sic pariter nostro tempore, cum docendi discendique ratio in sacris disciplinis esset ad novas necessitates amplificanda; aliis institutis magisteriis, quibus apti doctores ad subtiliores amplioresque doctrinas appararentur, novas de altioribus studiis normas condidistis, quas Constitutio Apostolica « Deus scientiarum Dominus » postea confirmavit, et quas vos etiamnunc pergitis cum fide et utiliter servare. Curate igitur ut gloriosa haec a Maioribus tradita studiorum ratio maneat incorrupta, et solidas doctrinas tenentes, novos investigationum progressus solliciti persequi ne spernatis.

Hac studiorum amplitudine et apta temporibus accomodatione illecti alumni ex toto Orbe terrarum in posterum etiam, ut fore omnino confidimus, ad vos convenient magno numero, certa spe freti posse se in hac Alma studiorum Matre perfecta illa institutione donari, qua valeant in sua quisque natione apostolicum munus explere. Sentiant, dum vestras scholas frequentant, eam animorum coniunctionem, qua voluntates ad idem munus conglutinantur et Ecclesiae unitas per caritatem ad vivum exprimitur. Etenim hac nostra aetate, si alias unquam, consociati conspirantesque singulorum labores, non vero disiuncti, victoriam de hostibus consequentur. Deerit autem, ut probe nostis, et laborum conspiratio et plena certaque victoria, si proelium contra erroris et peccati nequitiam non uno duce Christo et eius in terris Vicario committatur.

Sit denique haec Universitas Studiorum, quae a Magno Pontifice appellata est Gregoriana, reapse semper Pontificia, quod facile vobis erit, cum sitis cum Romana veritatis Cathedra ita propinquitate finitimi, ut ex hoc fonte ipso possitis incorruptam veritatem haurire. Sancti Ignatii, Collegii Romani conditoris ac patris, vestigia sequentes, qui mirabiles illas regulas « ad sentiendum cum Ecclesia » tradidit et sua vita expressit, teneatis firmiter

Christi doctrinam, quae integra servatur infallibili Petri Cathedrae Magisterio, integra traditur.

Concedat Deus propitius, ut ex huius Universitatis scholis prodeant in apertum apostolatus campum novae semper sacerdotum turmae, quae cum reconditiore doctrina copulent studium animarum, quae non sibi gloriam conquirant, sed Iesu Christo, et aeternam hominum salutem, nulla habita patriae ratione, nullo praetermisso labore, nulla non fortiter sublata, etiam vitae, iactura.

Concedat et Beatissima Virgo Maria, quam « Sedem Sapientiae » invocatis et Patronam, ut memores beneficiorum et rerum superiore aetate gestarum, traditas vobis a Maioribus doctrinas atque virtutes, studium praesertim ac fidem erga Apostolicam Sedem, tanquam gloriosam hereditatem servetis integram iidemque posteris tradatis.

Quarum salutarium rerum sit auspex Nostraeque benevolentiae testis Apostolica Benedictio, quam tibi imprimis, dilecte Fili, ac singulis universis Gregorianae studiorum Universitatis moderatoribus, magistris et alumnis paterna caritate impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XII mensis Augusti anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

PIUS PP. XII

ORATIO

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PP. XII

IN AEDIBUS VATICANIS HABITA

XVI KAL. NOV. A. MCMLIII

CUM SOLLEMNITER ADMITTERET

PONTIFICIAM UNIVERSITATEM GREGORIANAM

DIES FESTOS A SUA FUNDATIONE

QUATUOR SAECULARES

CELEBRANTEM

Animus Noster gaudio perfunditur, cum nunc vos, Purpurati Patres, Venerabiles Fratres et dilecti filii, hoc fausto felicique die coram admissos oculis Nostris complectimur. Singulari benevolentia salutamus hic adstantes professores vosque, alumni Nostrae Gregorianae studiorum Universitatis, qui laeti et pii huc convenistis, ducibus iis qui in vestro maximo sacrarum disciplinarum domicilio potestate pollent, scilicet Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Seminariis studiorum Universitatibus praepositae, utpote Magno Cancellario, cum Moderatore Generali Societatis Iesu, qui eius vices gerit, et eiusdem Universitatis insigni sollertique Rectore. Salutamus episcopos et sacerdotes ex utriusque cleri militia, qui vestri Athenaei olim alumni fuerunt, frequens agmen lectamque coronam, necnon eos qui his in praesens aliorum Athenaeorum vel Universitatum studiorum partes sustinent, ceterosque hospites profecto dignos, qui omni humanitatis suscipiantur officio. Vos universi Romam sponte et ultro confluxistis ad celebrandum quartum expletum saeculum, ex quo Gregoriana studiorum Universitas condita fuit, et a Nobis ipso ore aspectuque vestro

poscitis, ut ei salutariter precemur et ad novum maiorisque usque honoris suscipiendum iter alloquio Nostro incitamenta adiciamus.

A vero deerrare Nos non putamus, si id asserimus postrema per decennia perfecte absoluteque in effectum deductum esse consilium, quod Sanctus Ignatius secum agitabat, cum ad Collegium Romanum instituendum curas convertebat. Quod quidem sanctissimus vir cupiebat, quod excelso animo volebat, hoc certo erat: huc, ubi totius Ecclesiae arx est atque praesidium, ex omnibus orbis terrarum partibus arcessere iuvenes, ut, sacerdotes Christi et apostoli Evangelii domum reversuri, ipsi excultum ingenium et solidas virtutes sibi compararent.

Quod quidem Ignatii aetate et sat diuturno tempore post eius obitum, ex male superandis locorum intervallis aliisque obiectis impedimentis, contingere non poterat, — debitae Deo reddantur gratiae — feliciter nunc contingit. Ex quinquaginta octo nationibus et Rebus Publicis quinque terrarum orbis continentium in hanc Urbem congregati, iuvenes, in cleri spem succrescentes, pleno haustu purissimi fontis discendo sibi acquirunt totum complexum principiorum et legis naturae, veritatis a Deo revelatae opes, catholicae fidei divitias; penitus cognoscunt de Ecclesia Christi, qua structura ipsa consistat, qua vita floreat, quibus incrementis provehatur, quae metuenda et nocentia eius possint itineri obsistere; perdiscunt Ecclesiae historiam, iura, vias et rationes, quibus Christi Regnum exactis aevis per mundi plagas diffusum fuit et nunc per sacras expeditiones propagandum est; accipiunt denique disciplinam fortium et intemeratorum administrorum Dei, quae quidem hoc est sentire cum Eclesia, et pro Christi causa usque ad extremum vitae halitum se devovere.

Collegium Romanum seu Gregoriana studiorum Universitas Romanorum Pontificum adsiduam gratiam et benevolentiam merito sibi conciliavit. Ex quibus nimis lon-

gum est memorando recolere eos, qui Gregorianae Universitati singulariter faverunt.

Liceat Nobis, occasione nunc data, nonnullorum saltem honestam mentionem facere: Iulii III et Pauli IV, qui Collegium Romanum ad gravioris disciplinae philosophicam et theologicam scholam evexerunt; Gregorii XIII, qui largissima liberalitate de Instituto vestro optime meritus est et huius veluti parens habetur, a quo nomen iure recepit.

Tacendum quoque esse non putamus Benedictum XIV, qui cum nonnullis eiusdem professoribus, ut Rogero Boscovich, praecipua familiaritate utebatur et cum iis artiorem coniunctionem disciplinarum quae experimentis innituntur cum philosophia et theologia spectativi generis prosequebatur; Leonem XII, qui Collegium Romanum restitutae Societati Iesu administrandum tradidit eique nomen novum Gregorianae studiorum Universitatis imposuit. Huic Summi Ecclesiae Antistites decimi noni et vicesimi saeculi tot ac tantas benevolentiae significationes dederunt, ut iniuriam ceteris facere videamur, si alium alii antetulerimus.

Ad philosophicas et theologicas doctrinas quod attinet, Institutum vestrum in exordiis suis, dimidii saeculi spatio, tot magistris et doctoribus magnam laudem assecutis floruit, ut aetas illa iure aurea appellari potuerit. At hoc minime detrahit subsequentium fastorum gloriam. Nam Praepositi generales Societatis Iesu nullo non tempore, usque ad praesens, operam dederunt, ut ibidem peritorum et etiam optimorum professorum copia suppeditaretur.

Laudamus scholasticam methodum, quae apud vos in usu versatur. Quam alibi haud raro negligi et contemni Nos minime latet. Ut ii ab ista incuria vel despicatione desistant, meminerint Summos Pontifices huiusmodi methodum saepe commendasse, quin etiam horta-

tos esse, ut ea in philosophicis et theologicis scholis in honore semper haberetur.

Id, quod scholastica methodus assequi contendit, ut scilicet hominis ratio revelatas a Deo veritates et eorum philosophica adiumenta perlustret, expoliendo illas quae eis insunt notiones et afferendo argumenta, quibus eorum certitudo solide fulcitur; utque praeterea quae contra disputantur resolvat, et veritates omnes tum naturales metaphysicas tum divinitus revelatas concorditer apteque componere conetur: hoc semper fuit et est philosophiae et theologiae certum firmumque propositum. Neque opinandum est mysteria fidei et eorum supposita philosophica ab unoquoque ita comparari posse, ut facile vel ultro ab intellectu nostro obtineantur, neque opus esse, ut diuturno studio et apta methodo ratiocinando et meditando pertractentur.

Neve timueritis, ne ob studia spectativi generis illae quae « positivae » scientiae nuncupantur et praecipue theologia « positiva » aliquid detrimenti capiant. Inter utrasque enim nulla oppositio, quin etiam illae eo securius prodeunt, quo firmius hisce superstruuntur. Exemplo sunto vobis ipse Doctor Angelicus, qui « positivarum » cognitionum appetens erat, et ex primaevi Athenaei vestri theologis Franciscus Suarez, qui iure post Sanctum Thomam primoribus sacrae theologiae cultoribus accensendus est, recens autem — saltem unum memoria repetere fas Nobis sit — Ioannes Baptista Cardinalis Franzelin, qui utriusque ordinis disciplinis diligentissimum tribuit cultum easdemque mirabili modo in unum coniunxit.

Ipsa vestra studiorum ratio et programmata vestra annualia abundantiam rerum « positivarum », nostrorum temporum sacerdotibus valde utilium, continent, et quod summum est, in tractatibus vestris dogmaticis theologiae « positivae » amplum spatium praebetur; et utinam stu-

dium Sanctorum Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum apud vos floreat et augeatur.

Quod vero ad studia vestra et ad apostolatum vestrum attinet, ne indistincte permisceantur doctrina catholica et veritates naturales illi cohaerentes, et ab omnibus catholicis agnitae, cum eruditorum hominum conatibus ad eas explicandas itemque cum propriis elementis peculiaribusque rationibus, quibus varia philosophica et theologica systemata, quae in Ecclesia inveniuntur, inter sese discriminantur; neve umquam ita agendum est, quasi sacrarum concionum materies et religiosa institutio hinc emanent atque dependeant. Nulla huiusmodi disciplina et ratio porta est, qua quis in Ecclesiam ingrediatur; maioreque ratione nefas hanc est asserere unicam portam patere. Etiam sanctissimo et praestantissimo Doctore numquam Ecclesia veluti primigenio veritatis fonte usa est neque nunc utitur. Doctores utique magnos habet et summis decorat laudibus Thomam et Augustinum; at falli nescios tantum Sacrarum Scripturarum caelitus inspiratos auctores profitetur. Ecclesia nempe Dei mandatu Sacrarum Scripturarum interpres et custos, in se viventis Sacrae Traditionis depositaria, ipsa est ad salutem adipiscendam porta, ipsa, sub tutela ductuque Spiritus Sancti, sibi fons est veritatis.

Varia doctrinarum systemata, quae Ecclesia teneri sinit, omnino conveniant oportet cum omnibus iis, quae philosophiae et antiquae et christianae ab eiusdem Ecclesiae exordiis perspecta erant. Haec vero a nullo alio doctore tam lucide, tam perspicue, tam perfecte proposita sunt sive singularum mutua consensio partium ob oculos habetur, sive cum veritatibus fidei considerantur coniunctio et harum splendidissima cohaerentia, a nullo tam apta solidaque structura una simul composita sunt quemadmodum a Sancto Thoma Aquinate, ut Praecessor Noster Leo XIII hisce verbis sculpsit potius quam dixit: « Rationem, ut par est, a fide apprime distinguens, utram-

que tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere, neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari, quam quae iam est per Thomam consecuta » (Enc. « *Aeterni Patris* » - *Leonis XIII Acta,* ed. Romana, I [*1881*] pag. 274).

In iis quae modo breviter attigimus, enumerentur, exempli causa, quae spectant ad naturam cognitionis nostrae; ad propriam veritatis rationem; ad principia metaphysica in veritate solidata eaque absoluta; ad Deum infinitum, personalem, Creatorem omnium rerum; ad hominis naturam, animi immortalitatem, personae congruentem dignitatem, officia, quae morum lex ei ex natura indita denuntiat et imperat.

His rebus haud dubio mentis retinendis assensu apponenda non sunt ea, quae, ad verum in natura « positivum » quod attinet, apud Sancti Thomae magnos commentatores et optimae notae discipulos adhuc in controversia sint. Neque de his loquamur, de quibus disputatur, an ad doctrinam Angelici Doctoris pertineant vel quomodo interpretanda sint; itemque utpote caduca silentio premimus ea quae reapse consectaria sunt veterum hominum cognitionis et mancae et ieiunae de naturae rebus physicis, chymicis, biologicis vel alius generis.

Talem esse sensum illius legis, qua Codex iuris canonici (can. 1366, § 2) Sanctum Thomam ducem atque magistrum omnibus catholicis scholis praeficit, felicis recordationis Decessor Noster Pius XI hisce verbis asseruit: « Sanctum igitur unicuique eorum esto quod in Codice iuris canonici praecipitur ut « philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant »; atque ad hanc normam ita se omnes gerant, ut eum ipsi suum vere possint appellare magistrum. At ne

quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia: neque enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quae sibi veri similior videatur » (Litterae Encyclicae « *Studiorum ducem* », 29 sept. 1923 - *A.A.S.* XV, 1923, p. 324, 1).

Hac prorsus ratione insignes vestri auctores et magistri pulchro consociarunt foedere fidelitatem, quam Summo Doctori continenter servabant, cum magni aestimanda libertate, quae doctrinarum pervestigationi debetur, a Decessoribus Nostris, Leone scilicet XIII et iis qui in Petri Cathedra eum subsecuti sunt, semper in tuto collocata.

Unicuique igitur professorum integrum sit, intra supra assignatos limites, qui praetervehendi non sunt, alicui scholae adhaerere, quae in Ecclesia domicilii iure potita est, hac autem lege, ut veritates ab omnibus retinendas prorsus distinguat ab iis, quae lineamenta et elementa peculiaris sunt scholae, et in docendo haec discrimina notet, ut bene cordatum decet magistrum.

Sed iam ad ceteras veniamus disciplinas, quae in Gregoriana studiorum Universitate docentur. Ab ea initium facimus, quae ibidem postremo tradi coepta est, ab Instituto nempe doctrinarum socialium, nuper Philosophicae Facultati aggregato. Probe nostis, dilecti filii, quale momentum studio socialis quaestionis eiusdemque rectae solutioni, si eam sperare licet, Ecclesia tribuat; adeo ut affirmare non dubitaverimus, Apostolicam Sedem vix in ulla re tantas recens locasse curas, quantas in huiusmodi quaestionibus enodandis. Quapropter paterno animo dilaudamus hoc Institutum eo consilio a vobis conditum, ut inibi sacerdotes sacrorumque alumni, etsi non ipsi unice, peculiari tamen modo, doctrinis socialibus instituantur. Revera huius Instituti studiorum ratione perspecta, facere non possumus quin ex animo gratulemur, merita-

que honestemus laude sive animi alacritatem, qua coepistis, sive doctrinae copiam, qua discipuli imbuuntur.

Hoc Institutum Ecclesiae de re sociali doctrinam tradendam suscepit, cuius quidem capita praecipua in Apostolicae Sedis documentis continentur, in Encyclicis Litteris nempe, in Allocutionibus et in Pontificis Epistulis. Ad rem quod attinet, variae de re sociali scholae exortae sunt, quae pontificia documenta explanarunt, evolverunt atque systemata redigerunt. Quod quidem iure meritoque factum esse arbitramur. At illud evitari nequibat, ut eaedem scholae in principiis applicandis atque in conclusionibus deducendis aliae aliter procederent, multumque haud raro inter se discreparent. Quapropter hac etiam in re id cavendum est, quod de catholicae fidei doctrina deque theologicis scholis supra monuimus, ne scilicet vera genuinaque Ecclesiae de re sociali doctrina cum variis ac propriis cuiusque scholae sententiis permisceatur; quae duo quidem semper inter se sunt apprime distinguenda.

Ad theologicorum vestrorum provinciam pertinent etiam Facultates Iuris Canonici, Historiae Ecclesiasticae atque Missionologiae.

Ut ad ea veniamus quae iuris canonicum respectant, gratissima animum Nostrum subit eorum temporum memoria, cum sive qua sacrorum alumnus, sive a sacerdotio recentes in huiusmodi studia peculiari modo incubuimus, vel etiam cum asciti ad adiutricem praestandam operam Codici Iuris Canonici redigendo, plures annos in hoc ipso iure versati sumus. Hac autem oblata occasione, silentio praeterire nolumus praeclarissimum illum per tot annos vestrae studiorum Universitatis Professorem, itemque Societatis Iesu moderatorem supremum, Franciscum Xaverium Wernz, quocum tunc temporis saepe de rebus iuridicis collocuti sumus, quique inter primarios suae aetatis disciplinae huiusmodi magistros excelsum tenuisse locum videtur. Diuturna igitur hac vitae experientia edocti, haec duo vobis commendanda censemus, quorum

alterum ad rectam iuris canonici scientiam acquirendam, alterum vero ad sacerdotale obeundum ministerium spectant.

Quid vir iuris canonici addiscendi studiosus praestate debet, ut illud funditus pernoscat? Imprimis ipse iuris vigentis systema adeo teneat necesse est, ut universas normas perspicuas habeat, secundum earum sensum « positivum » et « speculativum ». Nequaquam enim recte vir Canonici Iuris peritus appellari potest, qui, etsi in canonum interpretatione sit versatus, non tamen iuris principia apprime noverit neque mutuas eorum rationes. Vestrae autem ducitur laudi quod huic rei efficiendae provehendaeque vim magnam tribuitis.

Quod similiter pro studio Theologiae moralis valere hic inserere iuvat. Theologia moralis, ut optime nostis, in Universitate vestra inde ab eius initiis peculiari modo excolebatur, duce Ioanne Cardinali de Lugo, Collegii Romani quondam magistro, qui doctrinam « speculativam » cum disciplinae « positivae » applicationibus mirabiliter coniunxit. Pergite igitur, ut egregie facitis, veritates morales divinas, naturales et « positivas », hominibus nostri temporis, qui non solum quoad mores in discrimine versantur, sed ipsa principia moralia in disceptationem vocant, adhibitis omnibus subsidiis, quae tum a disciplinis iuridicis, tum a recentioribus pervestigationibus suppeditantur, accurate, fideliter, ac rationibus usui accommodatis proponere et explanare.

Deinde qui iuris canonici disciplinam apprehendere contendit, gradum ad iuris historiam faciat oportet, quae quidem ad res iuris mature aestimandas plurimum confert; adeo ut veterum sententiam circa eadem instituta iuridica exploratam habeat, iuris originem, progressionem nec non mutationes discat, atque exinde varia inter se iuris systemata comparare valeat. Denique studium theoreticum complendum manet per cognitionem usus et exercitii iuris, cui rei « exercitationes » vestrae apte in-

servire possunt, eo vel magis quod heic in alma Urbe opportunitas datur — quae nusquam alibi in Ecclesia habetur — frequentandi « Studia » quae apud Apostolicae Sedis Officia habentur.

In consideranda suorum munerum natura iuris canonici peritus hoc persuasum sibi habeat, quemadmodum omnia quae in Ecclesia sunt, ita ius canonicum quoque omnino in animorum curationem contendere, ut homines praesidio quoque nutuque legum veritatis et gratiae Christi sint compotes ac sancte, pie, fideliter vivant, crescant, moriantur. Sive cum is ecclesiasticas res administrat, sive cum iudicia exercet, sive cum sacrorum administros aut christifideles consilio iuvat, adsidue cogitet a se de animorum salute, quibus multum quidem utilitatis, sed etiam multum nocumenti afferre possit, rationem esse reddendam. Quam ob rem iuri tradendo schola, cum apostolatui exercendo debeat esse praevia, ad hunc fructuose obeundum alumnos, qui ibi sacrarum legum notitia imbuuntur, aequa diligentia et severitate praeparet summopere oportet.

Nobis vehementer placet in Athenaeo vestro historiae ecclesiasticae studium ad uberiora incrementa provectum esse, et propriam esse Facultatem constitutam, cui quidem ea accedunt, quae Missiologica Facultas facit ad sacrarum expeditionum res gestas pervestigandas, atque ad huiusmodi incepta per insignia opera ad ethnologiam, sinologiam et islamologiam pertinentia provehenda.

In Ecclesiae historia colenda hoc vobis unum ex praecipuis est certum statumque propositum, ut huius disciplinae alumni criticae investigationis methodum sive ad eius praecepta, sive ad usum quod attinet ediscant. Neque mirum, immo laudabile est in id operam conferri, eo vel magis quod alienum praelucet exemplum. Quam appetenter, quam frugifere Instituta de rebus historicis colendis et studiosi viri, qui catholico non censentur nomi-

ne, praesertim postquam Vaticana secreta Tabularia patuerunt, repetendo diu recondita scripta documentaque, quae per longum praeteritarum aetatum decursum Ecclesiae labores et opera testantur, inde plurima cognitu utilia hauserunt, collegerunt, typis mandarunt!

Quanta fructuum ubertate etiam catholica Instituta et catholici homines, splendidis insistentes vestigiis tum Maurinorum benedictinorum doctorum, tum Bollandistarum, Societatis Iesu honoris et decoris, id genus investigationibus curas adhibuerunt!

Gratulamur igitur Nostrae Gregorianae studiorum Universitati, quod idem praeclarum terit iter et adhuc viginti per annos alumnos suos in huiusmodi ingenii industria, saepe eos ad Apostolicae Bibliothecae et Vaticani Tabularii pegmata mittens, exercet.

Eadem in re Nobis persuasum est vix esse aliud quod magis quam Ecclesiae historiae studium ecclesiastice sentiendi vim facultatemque alat, acuat, maturet, dummodo id teneatur, quod prorsus modus et prudentia exigunt: ne particulatim et plus aequo in hoc vel illo tantum eventu aut discrimine inspiciendo haereatur, sed singula referantur ad totum, negativa relata ad « positiva »; ac magna et duratura ut magna perpetuaque habeantur, minora vero et transitura ut talia pari modo videantur. Idque imprimis menti praesens habeatur, quod ceteroquin a reverentia veritati debita omnino requiritur, Ecclesiam, quamvis in ea hominum menda deprehendantur, semper esse Ecclesiam Christi, eandemque veram et in servando ac tradendo sacro fidei deposito, veritatis scilicet et caelestis gratiae, falli nesciam sanctamque, ipsam denique esse « Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo » (*Act.* 20, 28). Cum Deus semper magnus et mirabilis est in operibus suis, tum maxime talis certo censendus est, ubi summa eius caritas fulget, ubi copiosa eius pro nobis redemptio perficitur, nempe in Catholica Ecclesia.

Quam igitur viam ingressi estis, hac pergite, illam ingeminantes Pauli Apostoli vocem: « Deo gloria in Ecclesia, et in Christo Iesu » (*Eph.* 3, 21).

Illis ex vobis, qui provectioris aetatis sunt, professores in memoriam libenter revocamus, qui, ut Ludovicus Billot — unum ex eis nominamus — qua animi praestantia et qua ingenii acie alumnos ad sacra studia diligenda, et ad amplissimam sacerdotii dignitatem eiusque amorem incitabant. Tales alumnis magistros exoptamus; eosque, qui in praesens apud vos exscolunt disciplinas, hisce verbis adhortamur:

Ex vestra studiorum Universitate, per saeculorum decursum, prodierunt agmina virorum, qui eius nomen insigniter honestarunt: prodierunt haud pauci, qui Sanctorum et Beatorum Caelitum serto decorati sunt, fortissimi Martyres, Antistites et sacerdotes, qui Evangelii praeconio, animorum curatione, scientia apprime sacra, iuvenum institutione, magisteriis, ecclesiastici iuris tutela, opere, sermone, calamo, actione vitae tum in terris ubi antiquitus catholica fides viget, tum in oris, quo recens invectum est Evangelium, enituerunt.

Ii omnes triplici exardescebant igne, qui ipsorum pectora invaserat: studio animorum salutis, studio disciplinarum colendarum et exantlandi laboris, ac denique impenso precandi ac sese abnegandi studio. Quia aetherio flammati erant igne, ii se alacres et utiles praestiterunt. Nunc discendi studio vos affici oportet, lectissimi et dilectissimi Nobis iuvenes, ut, hac praevia nunc posita conditione, vobis suppetant olim vires ad egregia pro Christo et Ecclesia patranda.

Hoc in amplissimo consensu summo sempiternoque Deo pio mentis obsequio gratias persolvimus magnis pro incrementis, quibus Collegium Romanum seu Gregorianam studiorum Universitatem quattuor per saecula provexit et auxit; novum autem quod albescit saeculum caelesti eius Numini supplicibus cum votis dicamus, ut id

Spiritus Sancti sui effusis muneribus repleat; moderatoribus, docentibus et discentibus universis perquam dilecti Nobis Athenaei necnon iis, qui prece et qualibet ope ei auxiliantur, omnia bona et salutaria ab Eo, qui unus est bonus et omnium auctor donorum, invocamus. Quod Deipara Virgo Maria, sapientiae sedes et pulchri mater amoris, cuius patrocinio et tutamini vos omnes credimus, materna praesenti deprecatione a Filio suo, Domino nostro Iesu Christo, imploret.

Testem denique benevolentiae Nostrae et supernae gratiae pignus, quae omnim exspectationem superet, vobis Apostolicam Benedictionem ex animo impertimus.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

HODIERNA CONSCIENTIAE CHRISTIANAE PROBLEMATA METAPHYSICA, PSYCOLOGICA, THEOLOGICA

Relatio generalis de themate allegato habita est die 16 Octobris 1953 occasione Quarti centenari Universitatis Gregorianae in urbe Roma. Textus integer inter Acta IV centenarii publicabitur; hic Synopsis datur Relationis, cum plurium interesse supponitur scire, quae de hac materia hodie inter peritos problemata ventilentur.

Data generali « *conscientiae christianae* » descriptione, tamquam conscientiae hominis christiani, (qui, ut talis, praeter naturam humanam eiusque dotes naturales habet: lumen fidei, auxilia gratiae, directionem et vigilantiam Ecclesiae Christi), praenotatur: rationem habitum iri non solum particularium conscientiae dictaminum, sed etiam habitualis dispositionis et modi in dictaminibus conscientiae stabiliendis servati, necnon omnium eorum elementorum quae in conscientiam sive actualem sive habitualem influunt. Praenotatur insuper: Relatio*ne* intendi dare conspectum, non ultimam et plenam problematum *solutionem*, quam in aliquibus problematis, pro hodierno statu scientiae, dare possibile non sit; denique deliberato consilio abstineri ab auctoribus, libris, articulis nominatim designandis, tum ut omnis offensio evitetur, tum ut praecaveatur otiosa, sed inevitablis, de « vero sensu auctoris » disputatio.

Tractanda assignantur problemata: 1) metaphysica, 2) psychologica, 3) theologica.

Problemata *metaphysica* intelleguntur problemata, quae ultimatim respiciunt ORDINEM ESSENDI, quatenus hic ordo haberi debet fundamentum et mensura conscientiae efformandae. — Primo loco ponitur problema de *quaestione facti*, utrum scilicet efformatio conscientiae ultimatim habeat *fundamentum onticum*, idest: rerum essentias earumque essentiales relationes. Est quaestio tantopere hodie agitata de ETHICA OBIECTIVA (essentiali, metaphysica, cosmologica) in oppositione vel contradistinctione ab ETHICA PERSONALI (existentiali, « subiecti », situationis). — Secundum problema metaphysicum versatur circa huius fundamenti ontici *perceptionem intellectualem*, seu de conceptu « VERI » et « VERITATIS », qui conscientiae mensurandae et diiudicandae supponi debeat. Affertur duplex VERI conceptus et applicatio: verum intellectus speculativi, quod significat conformitatem inter intellectum et rem; verum intellectus practici, quod dicit conformitatem inter intellectum (idest: dictamen conscientiae) et appetitum rectum seu appetitum bene ordinatum. Problema oritur ex eo, quod alii dicunt: supponendum esse « verum speculativum », (ita defensores ETHICAE OBIECTIVAE); alii e contra tenent: supponi debere « verum practicum », (ita defensores ETHICAE PERSONALIS). — Tertium problema, nexum cum fundamento ontico, respicit *systemata moralia* tamquam viae perveniendi ad certitudinem conscientiae efformandae cum ordine morum obiectivo, prout est in se. Problema in eo est, quod aliquibus videatur: systemata moralia ideo putari necessaria, quia ex falso supposito procedatur, quasi in conscientiis efformandis quaerenda et stabilienda sit conformitas cum ordine ESSENDI, prout statuat ETHICA OBIECTIVA; cum solummodo curanda sit conformis cum « affectu bene ordinato », quod urget ETHICA PERSONALIS. ETHICAM PERSONALEM autem non indigere ad suum finem obtinendum systematis moralibus; ei sufficienter et abundanter provisum esse virtute cardinali PRUDENTIAE. Ideo

volunt, ut missa fiant dicta systemata « probabiliorismi », « probabilismi », « aequiprobabilismi ». — Quartum problema metaphysicum examinat relationem « *conscientiae invincibiliter erroneae* » cum asserto et stabilito fundamento ontico ETHICAE CHRISTIANAE. Supposito (secundum communem omnino sententiam Moralistarum), quod conscientia invincibiliter erronea dici possit et debeat — (et quidem secundum ordinem obiectivum morum) — actionis ponendae *norma per accidens,* ponitur et urgetur quaestio : quomodo apparens contradictio solvatur quae in eo est, quod ordo rectus ex una parte statuat : hominem invincibiliter errantem sequi posse et debere suam conscientiam, certam, praecipientem, sed erroneam; et quod idem ordo rectus eundem actum ponendum, si in se consideratur, reprobet et dicat omittendum. Expositioni huius problematis aliqua Corollaria addita sunt de sic dicto « *iure conscientiae erroneae* ». — Quinto et ultimo loco mentio facta est problematis *peccati materialis,* utrum scilicet et quanam relationem habeat ad ordinem essendi et fundamentum onticum conscientiae. Sunt enim qui asserere et defendere contendunt : peccata materialia quia talia, nullam habere relationem obiectivam cum ordine ethico, in quantum hic fundatur in rerum essentiis earumque essentialibus relationibus; (non aliter atque actus physice iidem, si ponuntur ab animali bruto, quos actus nemo referre velit ad ordinem ethicum). Quae quaestio alicuius momenti est in diiudicandis, tolerandis, consulendis certis actionibus, quae observantur in neuropathicis, psychopathicis aliisque sat multis). Alii e contra tenent et urgent : peccata materialia, et, si ab homine sine omni culpa subiectiva committantur, ex intrinseca sua natura habere et retinere inexstinguibilem relationem ad ordinem ethicum; ideoque legibus et principiis ethicis indispensabiliter subesse.

Problemata psychologica intelleguntur problemata, quae oriuntur ex conscientiae efformatione et exsecutio-

ne, in quantum conscientia designat activitatem psychicam subiecti seu hominis deliberate agentis.

In hac re primum problema versatur circa conscientiam, tamquam functionem sensu presso et pleno PERSONAE, idest: tamquam personae de persona disponentis, Quaeritur primo, utrum conscientia revera habeat hanc indolem dicto modo personalem; dein, si respondendum videtur AFFIRMATIVE examinant, utrum haec functio regulariter in sic dictis conscientiae dictaminibus ea omnia revera exhibeat, sine quibus dispositio totius EGO de toto EGO impossibilis sit. — Secundum problema versatur circa stabilienda et analysanda sic dicta « *capienda possessione* », quae functionem conscientiae praecedere et quae permanere debeat, ut functio personalis totius EGO de toto EGO verificari queat. Problema procedit ex consideratione naturae humanae, quae habeat varia sic dicta « STRATA », unum alteri superpositum, cum mutua quadam dependentia et INFLUXU CAUSALI mutuo. Problema novis terminis uti, quoad rem vero nihil novi proponere, sed urgere videtur quaestionem, quae etiam in praeterito proposita est, maiore tamen cum claritate et meliore cum fundamento in re. — Accedit problema tertium, proveniens ex campo bathypsychologiae (Psychologiae profundae, Psychotherapiae, Psychoanalyseos) RELATIO GENERALIS hic contenta fuit expositione variorum assertorum BATHYPSYCHOLOGIAE et designatione quaestionum, a quibus examinandis RESPONSIO et SOLUTIO horum problematum abstinere non possit. Quaestiones fuerunt hae: 1) numquid constat *de facto*, omnes illos « dynamismos » adesse, an phaenomena psychica aliam quoque admittunt analysim; numquid constat: « facta » asserta etiam probari, vel « evidentia facta » identificari cum asserta interpretatione horum factorum; 2) numquid constat: regulariter in homine normali influxum horum dynamismorum esse tantum, ut liget et impediat — (saltem ad tempus) — dominium psychicum τοῦ EGO, quod attinet ad efficacem con-

scientiam secundum ordinem obiectivum efformandam; 3) numquid constat: in casu assertae illius ligationis per dynamismos regulariter non remanere in homine nisi libertatem interni consensus sublata libertate (externae) exsecutionis; 4) numquid constat: regulariter non esse aliam viam ad tuendam, conservandam, recuperandam expeditam functionabilitatem conscientiae nisi viam psychotherapiae, et in casibus gravioribus viam psychoanalysis; 5) numquid certo constat: ad Ecclesiam atque ad confessarios et Directores spirituales non pertinere iudicium de culpabilitate et responsabilitate in conscientia contractis, sed hoc iudicium reservari debere et ex natura rei reservatum esse psychologis, psychotherapeutis, psychoanalystis; ex quibus theologi discant, quid de responsabilitate et culpabilitate sentire debeant; quo responso accepto, eorum esse: suadere et proponere media religiosa, et dare directionem sensu presso « spiritualem ». — Quartum problema oritur ex *theoria valorum*. Quaestio est: utrum ad normalem functionem dictaminis conscientiae praeter iudicium logicum (« conceptuale ») praerequiratur et adesse oporteat « *iudicium aestimativum* », quod intellegitur: actus rationalis, complexus, constans *iudicio* intellectuali et *affectu* rationali, regulariter spontanee orituro (habita cognitione logica) circa numero idem obiectum, quo utroque elemento rationali — (eo quod homini conscium fit) — homini innotescit, quid actio quam positurus est, homini importet seu « valeat ». Etiam quoad hoc problema « valorum » in Relatione generali abstrahebatur a responsione et solutione categorica danda, sed loco Responsi ponebantur — (prout in casu priore) — determinatae quaestiones, quae attentionem dirigant ad puncta, quae deliberatione ulteriore et accurato examine indigent: 1) an constet in genere: dari praeter iudicium pure intellectuale in homine etiam iudicium alterum qualificatum, quo homini « valores », modo distincto et typico, innotescunt; 2) an descriptio iudicii aestimativi, modo data, correspondeat

rei veritati et admitti saltem *possit*; 3) an ad hoc, ut dictamen conscientiae eiusque exsecutio homini plene attribui possit, in homine adesse debeat etiam iudicium aestimativum; 4) an thesis et theoria « valorum », pro hodierno statu scientiae, iam habeat eam perspicuitatem et « tutitatem », sine qua in diudicandis conscientiis, in decernenda culpabilitate et responsabilitate non possit admitti et applicari, tamquam norma et mensura. Ad quam ultimam quaestionem in RELATIONE GENERALI dicitur: Tribunalia ecclesiastica, quando huius theoriae (in diudicanda nullitate alicuius matrimonii ob defectum iudicii aestimativi in una parte contrahente) mentionem fecerint, manifestasse iudicium: totam hanc valorum theoriam nondum habere sufficientem certitudinem et « tutitatem ».

Problemata theologica intelleguntur ea, quae praevalenter versantur circa elementa propria ordinis supernaturalis et revelationis divinae. — Problema primum dici potest problema *ipsius personae* CHRISTI. Conqueruntur, quod ipsius Christi parum ratio habeatur in conscientiis dirigendis et in ponendis normis, secundum quas conscientia christiana debeat efformari, sed ponantur principaliter principia rationis naturalis, ornata quidem aliquibus coloribus desumptis ex Evangelio. Quaerunt, numquid fieri non possit, immo debeat, ut in centro et medio totius vitae singulorum, et ideo etiam in centro conscientiae personalis, ponatur CHRISTUS: eius persona, via, exemplum, ita ut praevalens in omnibus « situationibus » axioma sit quaerere: « Quid nunc faceret Christus, si mei esset loco? ». Urgent *obiectum* praedicationis Christi et *methodum* ab eo exhibitam non esse versata circa universales conceptus, definitiones, divisiones, principia abstracta (qua via nunc moralistae conentur dirigere et instituere conscientias fidelium). Ad quo « problema » — (si vere tale) est) — responsum datum est: Christum, cum sit centrum

totius vitae christianae, centrum esse posse et debere etiam in sphaera « conscientiae christianae », sed hoc minime impedire, quominus ulterior expositio catechetica pro fidelibus et tractatio systematica pro efformandis futuris sacerdotibus addatur; immo hoc complementum esse practice necessarium, cum illud adagium: « Quid meo loco ageret CHRISTUS? » non est norma practice sufficienter determinata et facile applicabilis. — Accedit secundum problema, quod est *problema charitatis*; versatur circa quaestionem, utrum possibile sit et expediat: loco tantae copiae regularum et principiorum moralium ponere unam normam tantum, ex quo omnia alia deduci et ad quam omnia reduci queant. Talem normam generalem, quae omnia alia contineat, dicunt esse « caritatem ». Ita docuisse Christum, Apostolos, Patres, magnos et classicos Theologos. Enumerantur plura emolumenta, quae ex tali unificatione et « simplificatione » totius vitae christiane sperari et obtineri queant. — Responsum in Relatione datum fuit hoc: non posse esse neque esse ullum problema, num inter omnes regulas vitae christianae et inter omnes virtutes « Charitas » teneat *primatum*; sed additum est etiam hoc loco: principium charitatis non esse sufficienter determinatum, ut regulariter fidelibus, immo etiam theologis sufficiat ad diiudicandum, quid in campo singularum virtutum in singulis « situationibus » sit agendum iuxta illud supremum charitatis praeceptum; praeterea adesse periculum, ne illud generale et primum mandatum « Diligens » (seu « Ama et fac quod vis ») adhibeatur ad sibi vindicandum tamquam licitum, quod licitum non est, quamvis designetur *etiketta* « Charitas ». — Tertio loco tractatum est *problema gratiae*. Quod problema est de auxilio efficaci, quod habeatur ex « gratia » ad superandas difficultates, quae se opponunt efficaci dictamini conscientiae in praeceptis divinis adimplendis. Difficultas oritur ex quorundam assertione et interpretatione adagii « GRATIA SUPPONIT NATURAM ». GRATIA NON SUPPLET NATURAM. Ef-

ferre volunt: de auxilio et efficacia gratiae sermonem esse posse solummodo, *postquam omnia obstacula psychica libertatis fuerint remota;* gratiam enim nullo modo inservire ad hoc, ut homo vincere valeat et vincat haec obstacula, (forte gravia, forte etiam exorta ex aliqua dispositione morbida, quae difficile quidem reddat exercitium libertatis sed minime impossibile, saltem quod attinet ad libertatis substantiam. Allegata sunt respectiva asserta Theologiae dogmaticae de necessitate et de efficacia gratiae; allegata etiam doctrina Concilii Tridentini de obligatione et de possibilitate observandi praecepta Dei, cum Dei auxilio. De cetero Responsum dandum quoad particularia transmissum est ad tractatum dogmaticum de gratia. — Ultimum problema theologicum fuit *problema* Ecclesiae. Cum vero ipse Summus Pontifex recenter in duabus Allocutionis de hoc problemate egerit, synopsis verborum Pontificis est data, quibus et obiectiones Modernorum et responsum Ecclesiae ad eas dandum et datum exponuntur (Act. Ap. Sed. 44 (1942) 270-273; 413-419; *Periodica* 41 (1952) 183-249).

Franciscus Hürth S. I.

ALIQUA DE NATURA BONI COMMUNIS

Finis legis, dicit Angelicus Doctor est bonum commune quia ut Isidorus habet in libro Etymologiarum « nullo privato commodo sed pro communi utilitate civium lex debet esse conscripta »[1]. Suarez scholarum magistrum commentans scribit esse commune axioma de substantia et ratione legis esse ut pro communi bono feratur[2].

Re ipsa legislatores, si aliquem tyrannum excipias, sive monarchiarum plus minus absolutarum, sive nostrorum democraticorum conventuum, una voce profitentur legibus a se rogatis vel institutis commune societatis bonum semper intendisse.

Nemo graves impudentesque iniurias unquam cognoscet quas ii commune bonum invocantes societati et intulerunt et inferunt; omnes tamen, facile intelligentes suae potestati iuris dicendi alium scopum tribui non posse quam bonum communitatis cuius caput eos Providentia constituit, semper conclamarunt se, solius communis boni intuitu, legislasse.

Homo, ut scholastici tradunt, sociabile animal est quod natura sua vivere in communitate appetit. Primum quidem in familia qua vel maxime indiget ad propriae vitae stirpisque conservationem, ad filiorum educationem, ad non pauca obtinenda sine quibus haud idonee viveret.

At vero familia ei non sufficit. Neque enim huius societatis membra sibi invicem praestare valent subsidium quod satis sit ad eam felicitatem comparandam quam homo indole sua quaerit sibique assequi desiderat, neque

---

1 *S. theol.* 1-2, q. 96 in c.

2 Suarez. *De legibus* v. I cap. 7 n. 1.

familiae, nisi quoddam inter se foedus constituerint, vix — inter alia multa, — casus iniuriasque avertere etsi opus fuerit, vindicare queunt.

Quam ob rem quasi naturaliter ad vitam civilem, ad politicum cum aliis consortium ordinamur.

Hominum multitudo considerari igitur poterit, vel ut coetus omni ordine unioneve physica aut morali carens; vel quatenus communi consensu, iure et morali vinculo, utilitatis communione, in politicum corpus aliis aggregatur sibi in suo ordine sufficiens quod membris suppeditet ea quae ipsa nec per se sola, neque per familiae iuvamen ad vitam humano plane modo agendam assequi queunt [3].

Quae cum ita sint apud omnes convenit, bonum commune esse vitam bonam civium [4], felicitatem communem [5], conservationem temporalis vitae in exteriore pace et iustitia [6], vitam bonam et felicem societatis [7], externam pacem et iustitiam reipublicae [8], veram tandem felicitatem terrenam [9].

Rem consideranti perspicuum erit enodatam huius boni communis qui finis est civilis societatis — de quo tantum loquar —, notionem, pendere a sententia quae teneatur super sociali hominis indole; seu aliter, de societatis civilis hominisque natura. Aliud profecto erit com-

---

[3] SUAREZ. *De legibus* v. I cap. 7 nn. 3-5, 21-22. Eximius Doctor ita perfectam societatem definit: multitudinem hominum aliquo foedere in ordine ad aliquem finem, et sub aliquo capite copulata sibi sufficiens in suo ordine. Opet v. cit. c. VI n. 19.

[4] Ita Plato. cfr. COPLESTON.

[5] S. TH. *S. theol.* 1-2, q. 90 a. 2.

[6] SUAREZ *op. vol. cit.* lib. III c. XIII n. 2.

[7] Aristoteles ut citatus a SUAREZ, *op. et vol. cit.* l. III, c. XIII n. 1.

[8] Fortunatus ut citatus a SUAREZ, *op et vol. cit.* l. III, c. XIII n. 1.

[9] PIUS XI. Encycl. «*Divini Redemptoris*», 19 martii 1937. *AAS.* v. 29 p. 79.

mune bonum quod propugnabunt quicumque claris rectae rationis et fidei divinae normis ducantur et aliud quod quicumque dialectico materialismo excaecati consequi nitentur. Alia de eo dicent qui Deum summum omnium rerum Creatorem et Dominum agnoscunt; et alia qui statum omnium iurium civium originem esse autumnant.

Cum christianis saeculis praeteritis, usque ad gallicae convulsionis tempora, Europae regna et nationes publicum christianum spiritum non abnegassent si nostros theologos et iuristas consules non nisi pauca de bono communi apud eos expressa invenies. Omnia quae de eo ferunt, in explicandis legis propietatibus includuntur. Eis paene affirmare sufficit, bonum commune esse finem ad quem societas civilis — quae christianam religionem profitetur — tendere debet; felicitatem nempe, pacem quam legum ordinatione attinget.

Recens tamen, immortalis memoriae Pontifices Leo XIII, Pius XI, atque Beatissimus Papa noster Pius XII [10] rem, urgentibus temporibus, magis explicite tractarunt. Vestigiis eorum insistens communis boni naturam elucidare conabor.

Imprimis commune bonum, generale sit oportet; quod opponatur privato commodo — illi nempe quod vel prorsus excludit, vel fine suo intrinseco ad aliorum omnium sociorum bonum referri nequit —, tum vel maxime legislatorum quolibet nomine insigniantur, tum politicarum factionum quae publicae gubernationibus muneribus funguntur, tum etiam aliquorum vel etiam plurium societatis hominum si ut personae privatae non ut cives sumantur.

---

[10] Leo XIII praesertim in Encyc. « *Diuturnum illud* », 29 iunii 1881. Acta Leonis XIII v. II p. 269-287. Pius XI praesertim in Encyc. « *Divini Redemptoris* » 19 martii 1937. *AAS*. v. 29 pp. 65-106 et Pius XII praesertim in Encyc. « *Mystici Corporis* », 29 iunii 1943. *AAS* v. 35 pp. 194-248.

Inordinatum enim est totum — societatem —, parti — privatis —, propter ipsam partem dedere. Omnis potestas a summo totius naturae Creatore in populorum rectores defluit non tanquam aliquid quod eorum qua privati sunt proprium fit, sed tanquam proprietas civium communitati essentialis eiusque causa et utilitate gerendum et sustentandum [11]. Ceterum tam late, de se, patet societas quam eius causa finalis bonum scilicet commune. Si igitur civilis hominum consortio tota quanta est propter bonum commune existit huius beneficium omnes non aliquos tantum vel plures socios afficere debet [12].

Aliud quoque animadvertum cum de investiganda boni communis natura quaestio est: Non idem est commune bonum ac bona communia.

« Bonum commune » dicit Suarez [13] « duplex est; unum quod per se primo commune est, quia non est sub dominio privatorum sed totius communitatis ad cuius usum vel usum-fructum inmediate ordinatur cuiusmodi sunt templa, magistratus, pascua communia ... Aliud vero est bonum commune solum secundario et quasi per redundantiam; immediate autem bonum privatum est quia sub dominio privatae personae et ad eius commodum proxime ordinatur. Dicitur autem commune, vel quia respublica habet ius quoddam altius in bona propria singulorum ut eis uti possit quando illi necessaria sunt, vel etiam quia eo ipso quod unaquaeque persona pars est communitatis

---

11 Cfr. Suarez *op. vol.* cit. l. 1 c. 6.

12 Suarez haec habet: « Quaedam leges versantur proxime circa materiam communem, aliae circa bonum singulorum; semper tamen ratio propter quam lex circa utramque materiam fertur est commune bonum quod propterea debet esse per se primario intentum et quidem non fine operantis sed ex parte materiae seu finis operis in quantum haec res de qua fertur lex hoc tempore, hoc loco, in hac gente sit utilis et conveniens ad commune bonum illius ». *De leg.* vol. I l. 1 c. VI n. 8.

13 Suarez. *op. et vol. cit.* l. I c. 6, n. 7.

bonum uniuscuiusque quod in damnum alius non redundat est commodum totius communitatis ».

Atqui mox apparet bonum quod Suarez primo et per se commune vocat ab stricta communis boni notione differre. Communismus ubicumque plenum suae theoriae progressum fuerit nactus communia bona, ingentia productionis media, e privato sociorum dominio tollet eaque ad usum et usum-fructum totius societatis destinabit. Tamen nemo cordatus qui communismi partibus non adhaereat, unquam somniabit communistarum societatem quae cives religione, libertate, expoliat, quaeque eos tyrannice gubernat paradisum esse boni communis. Potius dicendum videtur bona illa communia enormem efficere calamitatem publicam quae in causa erit cur cives qui communismo subiciuntur male vivant. Neque bonum commune a Suarez secundarium et quasi per redundantiam appellatum, ut ex iis attributis consequitur, verum commune bonum, de se, constituit. Neque eo, enim, quod publica auctoritas circa bona quae privatorum sunt altum dominium habeat iurisdictionis, neque ex eo quod societas pluribus civibus constet quorum copiae ad omnium aliorum civium bonum referibiles extent, communis felicitas aut progressio, eo ipso, re vera crescit.

Quis negabit commune bonum stricte dictum a legali iustitia quoad eius existentiam et quoad eius maiorem minoremve progressionem principaliter dependere? Non pauci forse extant status in quibus privata bona multorum civium enormia sunt et nihilominus socialis iustitia ibi fere spernitur.

Utique bonum commune primarium et secundarium Suarezii possunt, et ubi sint, debent tanquam media servire quibus societas bonum suum commune prosequatur. Sed tunc tantum commune bonum constituent cum ad id actu referantur; non dum solum referibilia manebunt.

Quid iuvabit ad pacem et beatam vitam societatis v. c., privatos cives divitias enormes, ingentia productionis

media possidere de quibus gubernium dominium altum habeat et simul alios dari cives qui operam aut laborem invenire nequeunt quia nemo est qui eis suppeditet?

Tertia concipi posset ratio bona communia commune bonum vocandi: si quis scilicet vellet bonum commune esse bonum quod omnes cives vel natura vel etiam iure legitime possident. Sed ut ostendatur quam longe distat eiusmodi bonum ab eo propter quod theologi et iuris doctores leges instituendas docent, recordari sufficiet « esse hominis » quo omnes socii existunt, haud paucae eorum actiones — in quibus sunt omnes internae —, multa praeterea quae ad normas legum positivarum ipsis praesto sunt, nullo modo posse ad verum bonum commune referri. Ita facultas publicas institutionis scholas adeundi quae omnium, datis requisitis condicionibus, patrimonium sit, nullius boni genus erit cum Ecclesiae aut familiae educationis iura violet aut cum, etsi absque iurium violatione, talis sit ut hoc tempore, in hoc loco, his civibus, sit sive mediate sive immediate nociva vel inutilis.

Bonum commune cum fine ultimo civilis societatis aequatur. Age vero: Pius XI inquit: « Societas ex divini Creatoris consilio naturale praesidium est, quo quilibet civis possit ac debeat ad propositam sibi metam assequendum uti ut » — en igitur commune bonum — « omnes ex eo quod cum societate composito ordine copulantur, terrenam possint, per mutuam navitatis conspirationem veri nominis prosperitatem attingere » ... additque « utque per humanum consortium privatae illae publicaeque animi dotes, hominibus natura insitae floreant atque vigeant, quae temporarias peculiaresque utilitates exuperant, divinamque praeferunt in civili ordinatione perfectionem, quod quidem in singulis hominibus contingere ullo modo nequit »[14].

Quapropter bonum commune, concrete sumptum, vo-

---

[14] PIUS XI. Encyc. « *Div. Red.* ». *AAS* v. 29 p. 79.

carem complexum omnium copiarum seu bonorum quibus *re ipsa* omnes cives, quia cives sunt, gaudent quaeque eis potestatem faciunt et ad debitam sui explicationem, et ad idoneum facultatum suarum exercitium perveniendi [15].

Vehementer igitur errant qui bonum commune in bono societatis a civibus adequate distinctae, eorum vero bono posthabito, collocant.

Placebit forse audire Suarezii iudicium de opinione eorum qui bonum commune in conservatione et progressu status reponunt. « Opinio est ... potestatem laicam et ius civile intendere statum politicum eiusque conservationem et augmentum, ac subinde materiam legum esse illam quae statui politico inservit et conservationi vel augmento eius; et in ordine ad hunc finem eas leges ferri, sive in eis vera honestas inveniatur sive tantum simulata et apparens, dissimulando etiam quae iniusta sunt et reipublicae temporali sint utilia. Haec est doctrina politicorum huius temporis quam praecipue persuadere conatus est principibus saecularibus Machiavelus, solumque fundatur in hoc quod non potest aliter respublica temporalis conservari; unde illius iudicium perversum est non posse verum regem et stabilem qui legibus virtutis astringitur eisque omnino subicitur » [16].

---

[15] SUAREZ *op. et vol. cit.* l. III c. XIII n. 7 haec tradit quae ad germanam boni communis notionem facile referri possunt: « Addo tertio potestatem civilem non habere pro fine intrinseco et per se intento... felicitatem naturalem vitae praesentis quatenus ad singulos homines ut particulares personae sunt, pertinere potest. Sed eius finem esse felicitatem naturalem communitatis humanae perfectae, cuius curam gerit et singulorum hominum ut sunt membra talis communitatis ut in ea scilicet in pace et iustitia vivant et cum sufficientia bonorum quae ad vitae conservationem et commoditatem spectant, et cum ea probitate morum quae ad hanc externam pacem et felicitatem reipublicae et humanae naturae conservationem necessaria est. Haec est mens Aristotelis et St. Thomae ».

[16] SUAREZ *op. et vol. cit.* l. III c. XIII n. 2.

Qui tandem, bonum commune nascetur ex cultu status propter statum et quidem forse etiam illicitis pravisque obtentum?

Est utique societas civilis persona moralis seu corpus mysticum, ut aiunt, et proinde qua talis distincta a civibus. Nullum est dubium quin iura eiusmodi societatis aliud sint diversum a iuribus singulorum civium etiam simul in unum sumptis.

Sed homines qui natura sua physica realiter a societate distinguuntur, ut cives sunt, partes eius constituunt, eiusque membra et facultates dici possunt cum socialiter — sit venia verbo — operantur, societatemque conservant atque perficiunt.

Societas non omnibus modis nec plene a sociis diversa est multoque minus eius bonum, posthabito civium bono, consistere valet.

Eo magis a veritate aberrant qui et bona civium et aliquando cives ipsos societatis bono subiciunt.

Frustra S. Thomam appellarent. « Cum omnis pars ordinatur ad totum, sicut imperfectum ad perfectum... » [17] « ... cum unus homo sit pars multitudinis quilibet homo hoc ipsum quod est et quod habet est multitudinis; sicut et quaelibet pars id quod est totius, unde et natura aliquid detrimentum infert parti ut salvet totum » [18] vel ... « sicut homo est pars domus ita domus est pars civitatis; civitas autem est communitas perfecta sicut dicitur in primo Polit. et ideo sicut bonum unius hominis non est ultimus finis sed ad commune bonum ordinatur; ita etiam et bonum unius domus ordinatur ad bonum unius civitatis, quae est communitas perfecta » [19]. Haec verba si inconsulte accipiantur non tantum dicere videntur societatem civilem potestatem habere super bona externa

---

17 S. Th. 1-2 q. 90 a. 2 in c.
18 S. Th. 1-2 q. 96 a. 5
19 S. Th. 1-2 q. 90 a. 4 ad. 3.

et super vitam sociorum — quod suppositis supponendis verum est, — sed etiam hominem obstringi et referri societati tum quoad sua bona tum quoad suum esse et substantiam.

At vero neque unquam in mentem Angelici venerunt consequentiae quas e dictis eius « totalitarii » omnium generum eruere audent neque innumeri desunt Summae loci in quibus eis explicite contradicat. Unus horum sufficiet: « ... quaelibet res recta et mensurata, oportet quod habeat formam proportionatam suae regulae et mensurae. Lex humana utrumque habet; quia et est aliquid ordinatum ad finem et est quaedam regula vel mensura regulata vel mensurata quadam superiori mensura, quae quidem est duplex; scilicet divina lex et lex naturae ... Finis autem legis est utilitas hominum sicut etiam Iurisperitus dicit. Et ideo Isidorus in conditione legis, primo quidem tria posuit; scilicet quod religioni congruat, in quantum scilicet est proportionata legi divinae; quod disciplinae conveniat, in quantum est proportionata legi naturae; quod saluti prospiciat in quantum est proportionata utilitati humanae » [20].

Si lex, quae medium est ad hominum felicitatem, debet et legi divinae et legi naturali conformari semperque rationis ordinatio permanere « totalitarii » tempus et operam amittent ad S. Thomam pro suis placitis recurrendo.

Cives in societatem civilem coadunati et obstricti, morale corpus per se unum efficiunt; membra quidem sunt quae aliquo quodam modo ad eam ordinantur. Sed « hoc morale corpus cuius unitatis principium nihil aliud est nisi finis communis et communis omnium in eumdem finem per socialem auctoritatem conspiratio, quod ad partes attinet » eleganter memorat Pius XII, « dum in naturali corpore unitatis principium ita partes iungit ut propria, quam vocant, subsistentia singulae partes prorsus

---

[20] S. Th. 1-2 q. 95 a. 3 in c.

careant; contra in morali corpore mutuae coniunctionis vis, etiamsi intima, membra inter se copulat ut singula omnino fruantur persona. Accedit quod, si totius et singulorum membrorum mutuam inter se rationem consideramus, in physico quolibet viventi corpore totius concretionis emolumento membra singula universa postremum unice destinantur; dum socialis quaelibet hominum compages, si modo ultimum utilitatis finem inspicimus ad omnium et uniuscuiusque membri profectum, utpote personae sunt, postremum ordinatur »[21]. In hoc corpore singula membra propria cuiusque libertate, conscientia agendique facultate fruuntur quibus membra cuiuslibet physici corporis omnino carent[22].

Brevi; ut P. Hürth habet: « est essentialis differentia inter membra physica organismi physici et membra moralia organismi moralis. Membra physica etiam secundum totum suum esse, sunt partes organismi totius, et ordinantur exclusive ad bonum totius. Nam licet ex toto et in toto nutriantur et foveantur, nutriuntur et foventur tamen unice propter totum, nullo modo per se. E contra homines, ut membra organismi moralis (familiae, civitatis), non sunt membra secundum esse suum, sed secundum suum operari tantum neque secundum omnem suam operationem, sed secundum quasdam.

Insuper ipsa societas et bona ex ea manantia in linea utilitatis ultimatim non sunt propter societatem sed propter homines ..., tribuuntur ... membris organismi socialis finalitate ultimatim prorsus alia atque membris physicis organismi »[23].

---

21 Pius XII. Encyc. « *Myst. Corp* ». *AAS*. v. 35 p. 222.

22 Pius XII. Encyc. « *Myst. Corp.* ». *AAS*. v. 35 p. 225.

23 Hurth-Abellán (Notae ad prael. Th. Mor.) Pars II n. 40. In numero 41 haec animadvertuntur: « Usus 'ideae organicae' quam vocant ... non nisi caute et cum debitis distinctionibus peragi potest. Item ad dirimendas quaestiones particulares sic dictum 'principium totalitatis' hac in re non nisi cautissime adhiberi pot-

Quicumque civium bona, vel homines, qua homines, ad status salutem vindicare praesumunt attente considerent quae scripsit inmortalis memoriae Pius PP. XI: « Ad hominem quod attinet ... eidem spiritualis atque immortalis animus inest idemque quemadmodum persona est mirandis prorsus corporis mentisque dotibus a Summo Creatore praedita, ita reapse microcosmos vocari potest quod inanimarum rerum immensitatem longissime evincit ac superat ». Persona « non modo in hac vita sed in perpetuo etiam mansura, supremus ei finis est unice Deus » ...pergitque, « Quod consequens est, multiplicia ei impetiit caeleste Numen ac varia munera: ut vitae corporisque integritatis iura; ut iura itidem cum res adispiscendi necessarias, tum ad finem ultimum via rationeque contendendi, sibi a Deo propositum; ut denique iura ineundae societatis et privata bona possidendi et eorum fruendi usu ... [24]. Praeterea ut maritale coniugium, ita eius naturalis usus ex divina ordinatione oriuntur; itemque domestici convictus constitutio eiusque praecipua munera non ex humano arbitrio neque ex oeconomicis rationibus sed a summo ipso Creatore proficiscuntur [25]. Neque satis sociale iustitiae factum erit nisi opifices et sibimetipsis et familiae cuiusque suae victum tuta ratione ex accepta, rei consentanea

---

est, et in genere solummodo ad solvendam quaestionem iuris, non autem ad dirimendam quaestionem facti. Principium ' partem esse propter totum, totum praevalere parti ' » — nempe cives esse propter societatem praevalere particularibus civibus — « est principium metaphisicum; sed principium sumendum est reduplicative, idest valet de parte qua parte, et de toto qua toto. De quaestione facti, an inter duo entia sit relatio partis ad totum, et, si affirmative, quisnam sit ambitus seu extensio huius relationis » v. g. in quibus et in quantum, civium operationes illam relationem partis ad totum habent — « principium totalitatis nihil dicit neque unquam tamquam argumentum adduci potest ». « Haec quaestio facti semper aliunde solvenda est ».

[24] Pius XI. Encyc. « *Div. Red.* ». *AAS.* v. 29 p. 78.

[25] Pius XI. Encyc. « *Div. Red.* » *AAS.* v. 29 p. 79.

mercede praebere possint, iisdem facultas detur modicam quamdam fortunam sibi comparandam ad illud communis paupertatis ulcus vitandum, quod tam late diffunditur nisi opportuna erunt in eorum commodum inita consilia, quibus iidem per publica vel privata cautionis instituta, suae ipsorum senectuti, infirmitati operisque vacationi consulere queant ... »[26].

Age vero; « Iis iuribus civitas civem spoliare non potest a Creatore Deo eidem impertitis ... eique eorum usum ex arbitrio impossibilem reddere »[27]. Commune igitur bonum nunquam poterit in bono societatis reponi quae mente concipiatur ut aliquid in linea finis ultimum et absolutum, vel quae proprium cuiusque civis bonum quaestui habeat. Ad rem, presse et nervose Pius XI: « Civitas homini, non homo civitati existit »[28].

Falsum proinde bonum commune a communismo propugnatum cuius placitis humana persona nihil aliud est quam quaedam ut ita dicamus rotula universae inserta machinationi[29] ... ut tandem postquam communi opera res gignerentur, cives terrae bonis frui in amoenissima voluptatis sede possent in qua quisque pro suis viribus laborem impertiret suum pro suisque necessitatibus reciperet[30].

Fallax quoque est commune bonum quod fingunt qui homines natos putant ut soli patriae exaltationi inserviant. Neque patriae gloria aut dominatus aut « cultura » aut stirps, fines sunt ad quos societas ultimatim tendat. Neque praeterire licet falsam etiam, hac de re, opinionem sustentare qui velint bonum commune quod societas prosequitur, ad cives quidem ordinari, sed ad cives vel optimos vel perfectiores iis qui actu consortionem integrant;

---

26 Pius XI. Encyc. « *Div. Red* ». *AAS.* v. 29 p. 92.
27 Pius XI. Encyc. « *Div. Red.* ». *AAS.* v. 29 p. 80.
28 Pius XI. Encyc. « *Div. Red.* ». *AAS.* v. 29 p. 79.
29 Pius XI. Encyc. « *Div. Red.* ». *AAS.* v. 29 p. 70.
30 Pius XI. Encyc. « *Div. Red.* ». *AAS.* v. 29 p. 71.

ad cives similes eis civitatis quam finxit Plato cum optimae reipublicae statum exquireret.

Sunt equidem in societate membra imbecillia, infirma, imperfecta, vitiosa quae laborare ac per se ipsa materialia bona amplificare nequeunt; at tamen etiam pro iis hominibus existit civitas. Et ii sunt personae physicae que societatem componunt, subiecta quidem utilitatis boni communis.

« Societas », ait Pius XII, « corpus est morale cuius membra — existentia nempe — « inter se connectuntur ut mutuo sibi auxilio veniant. Et quemadmodum in mortali concretione nostra, cum membrum dolet cetera omnia condolescunt, et quae sunt sana aegrotantibus suppetitias veniunt, ita in Ecclesia » — et id quod dicitur de Ecclesia ut est et quia est mysticum corpus, civili societati applicari debet — « singula membra non sibi unice vivunt, sed aliis quoque opitulatur atque omnia sibi adiutricem operam praestant, cum ad mutuam consolationem, tum ad ampliorem usque aedificationem totius Corporis [31].

Societas civilis non est commercii societas in qua socii tantum lucrantur quantum in ea ad lucrum faciendum conferunt. Sint ignorantes, sint mente capti, sint deficientes, sint inutiles, sint haud parvo oneri societati; « quemadmodum civis ita communitatis institutum ab sempiterno Numine originem ducunt ab eoque mutua inter se ratione conformantur; ... non civis igitur non humana societas potest officia illa renuere quibus invicem obstringuntur neque alterius iura reicere vel minuere queunt » [32].

De cetero etiam miselli ad bonum commune multis modis et plus quam suspicari licet conferunt. Si actu oneri sunt stirpi, publicae sanitati, oeconomicae rei, vel in genere bono societatis materiali, nemo, nisi edonisticam

---

[31] Pius XII. Encyc. « *Mystic. Corp.* ». *AAS*. v. 35 p. 200.
[32] Pius XI. Encyc. « *Div. Red.* ». *AAS*. v. 29 p. 81.

aut materialisticam societatis finis ideam habeat, negabit misellos vel directe navitate sua, vel indirecte v. g. virtutum et curarum exercitio quod in eis impenditur elementa moralia et spiritualia boni communis multiplicare.

Dato etiam, non concesso, eos unice Societati oneri esse, quia nihilo secius natura eos cives fecit a communi bono excludi nequeunt. « Quemadmodum ad quamlibet viventis corporis compagem quod attinet, in universum consultum non est nisi singulis membris, ea omnia tribuantur quibus eadem indigeant ad suas partes explendas, ita ad communitatis constitutionem temperationemque quod attinet, totius societatis bono prospici non potest, nisi singulis membris, hominibus scilicet personae dignitate ornatis illud omne impertiatur quod iisdem opus sit, ad sociale munus uniuscuiusque suum explendum » [33]. Infortunati quique personae dignitate ornantur.

Quod si qui, e materialismo, societatis exemplar sibi finxerunt, loco eos caritate et qua debent iustitia iuvandi et iis quae videntur ignobiliora membra esse corporis socialis abundantiori honore circumdandi, eo quod sunt corpore deformes, vel amentes, vel variis morbis infecti, utpote molestum societati onus, vita interdum vel aliis eorum bonis de quibus loquitur decretum Sancti Offici die 2 decembris 1940, privare conentur plane sciant « hoc non tantum naturali divinaeque legi in omnium animis inscriptis, sed altioris etiam humanitatis sensibus acerrime adversari » [34].

Rectae tandem veraeque communis boni notioni adversantur liberalismi fautores qui ob suam individualismi doctrinam communitatem immoderatis singulorum commodis inservire autumnant. Ii utique societatem homini non hominem societati existere praedicant; sed id ita intelligunt ut omnes cives bonaque omnia societa-

---

[33] Pius XI. Encyc. « *Div. Red.* ». *AAS.* v. 29 p. 92.

[34] Pius XII. Encyc. « *Mystic. Corp.* ». *AAS.* v. 35 p. 230.

tis obiecta esse iubeant ex quibus lucrum facere valeant qui caliditate, qui viribus, qui amoralitate praepotentes deveniant.

Cum boni communis adeptio sit idem ac ultimum societatis finem obtinere, ex sententia horum bonum commune illud esset quod nonnulli cives ex aliorum abusu consequerentur.

De his, sicuti de communismo, dicere licet eos morum disciplinae divinaeque Creatoris voluntati vehementissime repugnare.

Ut iam dissertationi finis imponatur: bonum commune ut assequendum et universim consideratum, terrena civium felicitas est quae maxime in vita communi pacifica ac iusta consistet. Quatenus spectatur ut cives actu beatos reddit, bonum commune dicerem omne genus bonorum moralium, spiritualium, et materialium quae eis potestatem faciunt pro eorum posse vitam suasque facultates humanas ita fovendi et explicandi ut ad idoneam naturae suae progressionem tandem perveniant.

Bonum hoc commune orietur ex mutua civium omnium conspiratione et consensione nec non ex omnium concordi actione in bonum commune adipiscendum quas reipublicae moderatores legibus normisque obligantibus promovebunt. Nam « singula membra » eo nimis, « privatis commodis consulunt quae saepe bono communi sunt contraria et interdum multa sunt necessaria bono communi quae ad singulos non ita pertinent et quamvis ita pertineant non procurantur eo quod communia » intellige ad bonum commune ordinata, « sunt sed quod propria sunt » nempe ut privato bono unice serviant [35].

Bonum commune tunc tantum dari proindeque ipsa hominum consortio a teterrima ruina sospes servari tunc tantum poterit cum scilicet socialis iustitiae christianae-

---

[35] SUAREZ. *op. et vol. cit.* l. III c. 1 n. 5.

que caritatis praecepta oeconomicam civilemque temperationem imbuant atque pervadant.

« Potestas civilis ordinatur per se ad gubernationem politicam et ideo per se non dirigit oeconomicum regimen nisi in his quae redundant » adderem vel conferunt « ad commune bonum civitatis et illud possunt impedire et promovere: reliqua vero quae spectant ad privatam familiam non per leges civiles sed per uniuscuiusque patrisfamilias prudentiam ordinantur »[36].

Accedit quod socialis iustitiae est, id omne a singulis exigere quod ad commune bonum necessarium est. « Si ergo iustitiae sociali provisum fuerit », ait Pius XI, « ex oeconomicis rebus uberes enascentur actuosae navitatis fructus qui in tranquillitatis ordine maturescent, civitatisque vim firmitudinemque ostendent quemadmodum humani corporis valetudo ex imperturbata plena fructuosaque eius opera dignoscitur[37].

Demum commune bonum tunc florebit cum homines et privati et publici normas ab Ecclesia datas et melius cognoscere studeant et fideliter exsequantur.

Nam « Catholica Ecclesia cum praeclarae id genus disciplinae — de civitate et de relationibus eam inter et cives — praecepta impertit, non alio utique spectat nisi ut faustum nuntium, quem angeli, supra Bethlehemiticum specum cecinere, gloriam Deo pacemque hominibus nuntiantes, ad rem deducere contendat; ut veri nominis videlicet pacem verique nominis felicitatem, quantaecumque eaedem ad aeternam assequendam beatitatem, vel in hac mortali vita attingi possint, comparare queat; at probe dumtaxat volentibus hominibus. Haec doctrina aequo itinere abhorret, cum ab errorum exitiis, tum ab immodicis politicarum partium quae eosdem amplectentur conatus ...; quandoquidem ut nullo non tempore rectam ve-

---

36 SUAREZ. *op. et vol. cit.* l. I c. VI n. 8.

37 PIUS XI. Encyc. « *Div. Red.* ». *AAS.* v. 29 p. 92.

ritatis et iustitiae aequilibritatem profitetur, ita eamdem et argumentis fulcit et in vitae actione efficit et provehit. Idque Ecclesia consequitur, mutua inter se officia iuraque concilians atque componens; ut nimirum cum libertate auctoritatem, ut cum singulorum dignitate civitatis dignitatem, ut denique humanam subiecti civis personam, atque adeo debitam iis, qui praesunt, obedientiam, cum eorum munere, qui divinae vices gerunt potestatis; itemque ordinatum sui ipsius, familiae patriaeque amorem cum ceterarum familiarum ceterarumque gentium caritate illa coniunctum, quae in Dei amore nititur quorumvis patris, ex quo omnia oriuntur et ad quem omnes, ut ad finem ultimum contendant oportet.

MICHAEL FÁBREGAS S. I.

“IDEM NUNC OFFERENS SACERDOTUM MINISTERIO„

Concilium Tridentinum, sess. 22, cap. 2, dicit: « Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa ». Theologi omnes semper docuerunt Christum in sacrificio Missae esse offerentem principalem; at non consentiunt in quaestione, qua ratione Dominus ut principaliter offerens operetur. Sunt qui velint oblationem mere « virtualem »; his adnumerantur Scotus, Vázquez, M. de la Taille. Alii affirmant oblationem « actualem »; inter hos nominantur S. Thomas, Caietanus, Salmanticenses, Suárez, recentiores plerique. Discrimen vero inter utramque oblationem praecipue in eo esse dicitur, quod in oblatione actuali sacrificium fit vi actus praesentis humanae Christi voluntatis; in oblatione virtuali autem ex sola institutione et in nomine Christi, sine ullo influxu actus Christi praesentis *qua* praesentis; cf. R. Garrigou-Lagrange, *De Eucharistia*, pag. 290. Nos, in sequentibus, ostendere conabimur talem causalitatem humanitatis Christi per actum nunc praesentem qua praesentem non requiri ad hoc, ut Christus dici possit, atque etiam debeat, offerens principalis, immo huic doctrinae obstare serias difficultates; sed potius admittendam esse oblationem *actualem quidem, sed mere vicariam,* quae explicari possit sine actu nunc influente. Sacrificium « offerre » et « oblationem » in sequentibus semper intellegimus non de oblatione qualicumque, sed de ipso actu sacrificativo, quo nimirum sacrificium ipsum perficitur.

1) Sacrificium eucharisticum essentialiter peragitur consecratione utriusque speciei. Haec quatenus rationem

transsubstantiationis, a solo Deo ut causa physica efficitur; at quatenus est actio sacrifica testificans internam oblationem Domini, fit a Christo homine ut offerente principali. Patet Christum qua hominem non potuisse instituere sacrificium, in quo actio omnes vires creatas totaliter excedens, qualis est transsubstantiatio, intervenit, nisi potestate a Deo accepta, seu, aliis verbis, nisi ipse Deus paratus erat ad efficiendam eam mutationem, quae panis et vini transsubstantiatione fit, ac sola divina virtute fieri potest.

Consecratio efficitur per verba institutionis. In cena novissima Christus ipse haec verba protulit; erat unicus sacerdos. Nunc verba proferuntur a sacerdote humano. Iuxta fidem catholicam sacerdos humanus celebrans in efficienda consecratione, ac proinde in proferendis verbis quae consecrationem efficiunt, est Christi minister, agit in nomine et ex persona Christi, Christus est offerens principalis, presbyter humanus eius instrumentum, utique ratione et libertate praeditum.

Ad hoc *non sufficit,* ut Christus sacrificium instituerit, neque ut sua merita ei applicuerit, neque ut voluerit in sui memoriam celebrari, neque etiam ut celebrans simpliciter exsequatur mandatum Christi qua eius minister.

Etenim *a*) in Vetere Lege Deus instituit sacrificia, neque tamen obtulisse dicendus est; *b*) applicatio meritorum Christi non efficit sacrificium, sed est potius fructus eius; praeterea fieri potuit ad sacrificium, quod non esset sacrificium Christi; *c*) per se etiam minister munere suo fungi potest potestate propria.

Ergo *saltem requiritur,* ut sacrificium offeratur vi institutionis a Christo factae per sacerdotem a Christo ad hoc deputatum, in nomine et ex persona Christi. Haec autem sufficere, ut Christus vero sensu dicit possit offerens principalis, negare nemo potest; si enim sacerdos ex potestate a Christo accepta tamquam Christi legatus

agere vult, quod Christus agendum instituit, et quidem eo modo, quo Christus id agi vult, nempe ex persona Christi, tunc actio sacrificativa vere ponitur vi voluntatis Christi ut eius actio; tunc haec actio ita pendet a Christo, ut Christus ipse sit eius causa princeps. Sicut si legatus missus a rege, ut nomine regis S. Pontifici reverentiam exhibeat, facit quod rex mandavit idque facit nomine regis, actio legati moraliter est actio regis; ipse rex per suum legatum Pontifici reverentiam exhibet. Habetur in tali casu actio stricte vicaria. Physice verba consecrationis proferuntur a solo presbytero; ipse est causa physica ipsorum verborum. Moraliter vero et iuridice habetur actio Christi, quae accurate eosdem effectus iuridicos habet, ac si Christus ipse verba proferret. Sicut in omni baptismo valido Christus est qui baptizat, licet totum signum sacramentale ponatur a ministro humano. ita etiam in Missa Christus est qui offert. Minister humanus eius personam gerit eiusque vice fungitur. Quemadmodum Dominus in Missa ope specierum panis et vini se hostiam visibilem reddit, simili modo, proportione servata, se ope ministri humani sacerdotem praesentem et visibilem praebet. Ea quae presbyter in consecratione facit, agendo et loquendo in virtute et ex persona Christi, sunt externa manifestatio internae oblationis Christi, quae manifestatio ad sacrificium omnino requiritur. Hoc sensu intellegenda videntur verba Pii XII, *Enc. Mystici Corporis*: « Per iuridicam, ut aiunt, missionem qua Divinus Redemptor Apostolos in mundum misit, sicut ipse missus erat a Patre, ipse est qui per Ecclesiam baptizat, docet, regit, solvit, ligat, offert, sacrificia » (*AAS* 35 [1943], pag. 218). Etenim Pastores Ecclesiae nunc non docent vi actus praesentis Christi *qua* praesentis, sed vi missionis olim datae. Est quidem discrimen inter potestatem docendi et regendi ex una parte, et potestatem administrandi sacramenta et sacrificandi ex altera parte. Illam Pastores acceperunt quidem a Christo, sed ut propriam, quam exercent no-

mine proprio; quare eorum leges non sunt divinae, sed ecclesiasticae. Haec est stricte vicaria, quae exercetur nomine Christi; hinc baptizare et offerre proprie sunt actiones Christi ipsius. Verum utraque potestas derivatur ex *missione iuridica antea facta*; de influxu alicuius actus Christi nunc praesentis saltem nihil dicitur.

2) Oblationem, quae ita fit, censemus vocandam esse non mere virtualem, sed *actualem*. Christus in ea actu offert, sed per ministrum. Immo in ea actio Christi neque magis neque minus virtualis esse videtur quam in oblatione communiter dicta « actuali ». In utroque casu idem offerens principalis, nempe Christus, actu exprimit, non per se immediate, sed per suum ministrum, oblationem internam eandem. Licet Dominus nunc non ipse proferat verba consecrationis, tamen sacerdos consecrans nunc agit ex eius influxu, sicut legatus regis, nunc ex persona regis honorans S. Pontificem, nunc actu est sub influxu regis. Recte scribit Card. de Lugo, *De Sacramento Eucharistiae*, disp. 19, n. 93 : « Vere *nunc* offert Christus, quia sacerdos ex Christi institutione offert nomine Christi : quod sufficit, ut haec actio, moraliter loquendo, dicatur actio Christi, sicut reverentia, quam legatus regius exhibet Pontifici, est moraliter reverentia regis erga Pontificem ... licet tunc rex dormiat vel non cogitet de hoc ». Immo etiamsi rex eo momento cogitaret de actione legati sui eamque approbaret atque vehementer de ea gauderet, tamen legatus non ageret vi horum actuum regis, sed vi mandati antea accepti; et rex « per legatum suum » honoraret Pontificem non vi actuum praesentium, sed vi mandati antea legato dati; at honoraret *nunc*; non tantum aliquando reverentiam Pontifici exhibuisset, sed *nunc exhiberet* per missionem legati prius factam. A pari sacerdos nunc celebrans offert ex mandato Christi prius accepto et ex persona Christi; ponit actionem stricte vicariam, cuius causa physica tota est ipse quidem, at cuius causa moralis est Christus; effectus huius actionis sunt

accurate iidem, ac si Christus ipse poneret solus totam actionem. Per sacerdotem offert Christus; non tantum aliquando obtulit singula sacrificia, sed nunc continuo offert « sacerdotum ministerio ».

In hac re de sacrificio idem dicendum est, quod de sacramentis dicitur: Physice actio sacramentalis tota est a ministro humano ut a causa principali; moraliter vero et iuridice est actio Christi ipsius, eosdemque effectus supernaturales habet, ac si Dominus ipse ritum sacramentalem faceret. Propterea in tota traditione Christus dicitur *adhuc administrare sacramenta.*

S. Augustinus hanc veritatem verbis explicitis docet. Contra Donatistas probat, neque fidem neque probitatem in ministro requiri, ex eo quod Christus ipse sit baptizans principalis: « Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto; nec, sicut Petilianus dicit, iam baptizare cessavit; sed *adhuc* id agit, non ministerio corporis, sed invisibili opere maiestatis » (*C. Litt. Petiliani* 3, 49, 59; ML 43, 379).

In tractatibus *in Ioannis Evangelium* saepius de hac re agit: « Quoniam ... Christus noluit baptismum suum alicui dare, non ut nemo baptizaretur baptismo Domini, sed ut *semper ipse Dominus baptizaret*: id actum est, ut et per ministros Dominus baptizaret, i. e. ut quos ministri Domini baptizaturi erant, Dominus baptizaret, non illi. Aliud est enim baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille in cuius potestate datur ... Baptizavit Paulus tamquam minister, non tamquam ipsa potestas; baptizavit autem Dominus tamquam potestas ... Sibi tenuit Dominus baptizandi potestatem, servis ministerium dedit. Dicit se servus baptizare; recte quidem, sed tamquam minister » (5, 6 s.; ML 35, 1417). — « Quid ergo per columbam didicit [Ioannes] ... nisi quandam proprietatem in Christo talem futuram, ut quamvis multi ministri baptizaturi essent, sive iusti sive iniusti, non tribueretur sanctitas nisi illi, super quem descendit columba, de quo dictum est:

'Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto'. Petrus baptizet, hic est qui baptizat; Paulus baptizet, hic est qui baptizat; Iudas baptizet, hic est qui baptizat » (6, 7). — « An utrumque verum est, quia et Iesus baptizabat et non baptizabat? Baptizabat enim, quia ipse mundabat; non baptizabat, quia non ipse tingebat. Praebebant discipuli ministerium corporis, praebebat ille adiutorium maiestatis. Quando enim cessaret a baptizando, quamdiu non cessat a mundando? ... Ergo Iesus *adhuc* baptizat. Et quousque baptizandi sumus, Iesus baptizat. Securus homo acedat ad inferiorem ministrum; habet enim superiorem magistrum » (15, 3).

Si igitur nunc alicubi fit baptismus validus, in hoc casu Christus non baptizat, et tamen baptizat. Non baptizat « ministerio corporis »; quoad hoc, cum ipse iam non visibiliter in hac terra degat neque signum sacramentale ponere possit, sibi substituit ministrum humanum, qui facit totam actionem externam et, iuxta modum loquendi S. Chrysostomi a Pio XII laudatum, Christo « quodammodo linguam commodat, manum porrigit ». Baptizat vero, quatenus minister ab eo accepit potestatem et actionem sacramentalem efficit ex persona et in nomine eius. Minister physice ponit actionem, quae iuridice est Christi actio. Hinc effectus baptismi a ministro collati prorsus idem est, ac si Dominus ipse solus, sine ministro, baptizaret: Christus est qui baptizat. Actio sacramentalis est a ministro humano ut a causa principali, quatenus est actio naturalis et physica; quatenus vero producit gratiam, est a Christo; ab homine eatenus tantum est, quatenus Christus eum tamquam vicarium sibi substituit et hac substitutione efficit, ut sit suum instrumentum. Requiri insuper, ut Christus e caelo actu nunc exsistente exerceat causalitatem, sive physicam sive moralem, nullibi dicitur.

Theologi ab initio eandem doctrinam proponebant, praesertim cum agerent de valore sacramentorum a mi-

nistro haeretico vel moraliter malo collatorum. Ita dicit S. Albertus, In 4, d. 5, a. 4: « Christus non tantum regenerat ministerio fidelium, sed etiam ministerio infidelium, eo quod actus suus est, non hominis ». — S. Thomas, *Sum. Theol.* 3, q. 64, a. 5: « Ministri Ecclesiae neque a peccatis mundant homines ad sacramenta accedentes neque gratiam conferunt sua virtute; sed hoc facit Christus sua potestate per eos sicut per quaedam instrumenta ». Si igitur nunc homo baptizat vel absolvit a peccatis, Christus hoc facit per hominem sicut per instrumentum.

Pius XI, *Enc. Ad catholici sacerdotii,* dignitatem sacerdotis ita exaltat: « Minister Christi sacerdos: divini igitur Redemptoris quasi instrumentum est, ut mirabilem eius operam ... per tempora persequi valeat. Quin immo ipse, quod iure meritoque sollemne habemus, alter est Christus, cum eius gerat personam secundum illud: *Sicut misit me Pater, ego mitto vos* » (*AAS* 28 [1936], 10). Ergo sacerdos est Christi minister et « alter Christus », quatenus eius personam gerit; hoc vero facit vi missionis olim acceptae, non vi actus praesentis *qua* praesentis.

Haec eadem videtur esse mens Pii XII, *Enc. Mediator Dei*: « Idem itaque sacerdos, Christus Iesus, cuius quidem sacram personam eius minister gerit. Hic siquidem, ob consecrationem quam accepit sacerdotalem, Summo Sacerdoti assimulatur, ac potestate fruitur operandi virtute ac persona ipsius Christi. Quamobrem actione sua sacerdotali Christo quodammodo ‘ linguam suam commodat, manum porrigit ’... Incruenta illa immolatio, qua consecrationis verbis prolatis Christus in statu victimae super altare praesens redditur, ab ipso sacerdote perficitur, prout Christi personam sustinet ... Altaris administer personam Christi utpote Capitis gerit, membrorum omnium nomine offerentis » (*AAS* 39 [1947], pag. 548). Illud « quamobrem » rationem indicat: Consecratione sa-

cerdotali presbyter potestatem accepit « operandi virtute ac persona ipsius Christi »; propterea (plus non requiritur) « actione sacerdotali Christo quodammodo linguam suam commodat, manum porrigit », i. e. Christus nunc in quolibet sacrificio per eum operatur.

Neque *ex natura rei* plus postulari potest. Christus vere dici potest actualiter offerre, quin hic et nunc. actu praesenti, sacerdotem physice moveat ad verba consecrationis proferenda vel transsubstantiationem ipsam efficiat. Causa intentionalis est etiam vera causa; iam vero, eius effectus hic et nunc produci potest, quin actus physicus praesens qua praesens influat. Famulus, qui nunc implet praeceptum antea ab hero datum, nunc actualiter operatur sub influxu heri; herus nunc eo utitur ad effectum intentum obtinendum, non antea eo usus est.

Iam vero, celebrans in consecratione peragenda non est tantum aliqualis minister Christi, non simpliciter aliquod Christi mandatum exsequitur; sed proprie Christi vices gerit et eius personam sustinet. Ponit actionem stricte vicariam, cuius causa physica est ipse quidem, at cuius causa moralis est Christus, ipse actualiter influens. Quare Christus non dicendus est solum aliquando obtulisse singula sacrificia in mundo offerenda, sed nunc offert, sacerdotum ministerio.

Neque opus est ad hoc, ut Christus internum oblationis actum toties reproducat, quoties Missa celebratur; neque etiam requiritur — ob hanc solam rationem —, ut idem actus oblationis in cena elicitus absque interruptione et reiteratione perduret. Nihil obstat, quominus Christus dicatur oblationem internam pro omnibus et singulis sacrificiis usque in finem saeculorum in universo orbe offerendis posuisse in ultima cena, quando sacrificium eucharisticum instituit; possunt enim multi actus externi pendere ab uno eodemque actu interno, et idem actus internus multis actibus externis saepe iterandis exprimi potest. Christus Redemptor offert singula sacrificia, « qua-

tenus ... voluntate, qua seipsum offerebat in ultima cena sacrificio relativo, respiciebat sui sacrificationem sacrificio cruento et absoluto in cruce, simul includens in illa prima oblatione institutrice perpetuam sui oblationem usque ad consummationem saeculi in singulis oblationibus futuris per ministros sacerdotes; et quatenus vicissim voluntate, qua se sacrificabat in cruce, respiciebat omnes futuras oblationes incruentas ad illud relativas » (Franzelin, *De SS. Eucharistia,* ed. 3, pag. 385).

Hic actus oblativus Christi, qualis erat in cena et in cruce, sine dubio erat meritorius. Quare non sequebatur visionem beatificam, sed elicitus est sub luce scientiae infusae. Nam visio non est regula proportionata actus liberi et meritorii; actus sequentes visionem sunt quidem spontanei et voluntarii, non vero liberi; qui non habet aliam cognitionem quam visionem beatificam, omnia facit ex purissimo erga Deum amore, ad quem necessitatur. Qui igitur censet actum illum numerice eundem adhuc nunc exsistere in anima Christi, hoc intellegere debet de actu scientiae infusae, et non visionis.

3) Ex dictis constare videtur non opus esse admittere influxus Christi in consecrationem per actum praesentem ad hoc, ut Christus dici queat nunc actualiter offerre; sed huic influxui praesenti etiam obstare videntur seriae *difficultates.* Nam et transsubstantiatio et sacrificium perficiuntur verbis consecrationis a sacerdote humano prolatis. Sacramenta efficiunt quod significant; atqui in transsubstantiatione verba sacerdotis sunt totum signum sacramentale; ergo haec verba, eaque sola, efficiunt conversionem panis et vini. Missa, essentialiter consistens in duplici transsubstantiatione, est actio sacramentalis non in caelo peragenda, sed in terra per sacerdotem visibilem vices Christi gerentem. Huic actioni oblativae fideles assistunt tamquam sacrificio Missae, non actui Christi caelestis. Hinc omnes concedere debent verba conse-

crationis rite prolata a sacerdote valide ordinato, debita cum intentione, sufficere, ut habeatur transsubstantiatio et sacrificium. Ergo Christus eatenus est offerens principalis, quatenus causat verba consecrationis a celebrante prolata. Alia causalitas, qua Christus ut offerens influeret in hoc concretum sacrificium, iuxta vel praeter sacerdotem humanum, cogitari nequit; non explicaret, cur Christus sit offerens principalis huius sacrificii. Quare ut Christus « actualiter » offerret hanc Missam per actum praesentem humanitatis suae, mediante hoc actu ita influere deberet in verba sacerdotis, ut esset horum verborum causa princeps, sacerdos autem eius instrumentum. Iam vero, admodum difficile apparet explicare, qua ratione Christus homo e caelo actu efficiat verba omnium sacerdotum nunc in mundo litantium.

Omnis causa est vel physica vel intentionalis; intentionalis iterum potest esse vel iuridica vel moralis stricte dicta. Atqui, in casu, causa *iuridica* in quaestionem venire nequit. Iuridica causalitas adhiberi potest in explicanda efficacia sacramentorum, si nempe quaeritur qua ratione singula sacramenta producant gratiam, vel etiam qua ratione verba consecrationis efficiant transsubstantiationem, vel Christus homo patraverit miracula. At consecratio, in quantum est physica conversio panis et vini, est a solo Deo ut causa physice efficiente; sed quatenus est expressio externa internae Christi oblationis, est a Christo ut causa principe. Iam vero, ius et potestatem convertendi panem et offerendi nomine Christi presbyter accipit totam sacramento Ordinis; haec certe non pendent ab actu oblationis Christi praesenti qua praesenti.

Neque causa *moralis*, in casu, admitti potest. Etenim causa moralis non immediate effectum physicum intentum ipsum producit, sed aliam causam physicam rationalem et liberam movet ad effectum physice producendum; operatur voluntatis intimatione (imperio, consilio, petitione). Quare sacerdos celebrans, si in consecratione ta-

lem influxum humanitatis Christi subiret, eius deberet esse conscius; atqui non conscius est celebrans se ad consecrationem moveri per actum Christi praesentem, sed se offerre ex delegatione Christi olim data et ex persona Christi. Ergo ii, qui reiciunt causalitatem physicam humanitatis Christi in consecratione efficienda, non videntur admittere posse oblationem Christi actualem per actum praesentem; Christus non actu praesenti defert hostiae consecrandae imperium divinum, ut convertatur in corpus Christi, sed mediantibus verbis sacerdotis; neque sacerdos offert ex imperio Christi praesenti, sed ex mandato prius accepto.

Maneret igitur causalitas *physica*; at haec, in casu, videtur impossibilis. Causa physica est, cuius operatio est in ordine physico, quae nimirum exercet vim physicam et pro effectum immediato habet physicam rei immutationem. Causa physica instrumentalis est, quae sua propria et physica virtute, sed quatenus movetur et dirigitur a causa principe, producit effectum a causa principe intentum. Qui in humanitate Christi vident instrumentum physicum Divinitatis in productione gratiae sanctificantis, dicunt Christi humanitatem in singulis casibus physice in gratiam nobis infundendam influere seu Christum actione humana physice gratiam in nobis producere. Item Christus dicitur in sacrificio Missae actione humana physica efficere transsubstantiationem, in qua habetur quoque ratio sacrificii. At haec physica causalitas sacramentorum et humanitatis Christi apparet tam difficilis ad intelligendum, ut plerique auctores eam censeant impossibilem vel saltem omnino improbabilem, ii vero qui eam defendunt, diversimode eam explicant, ita quidem ut non raro alii sentiant opinionem aliorum intrinsece repugnare.

Ac primo quidem probari nequit ulla alia causa physica *gratiae* quam Deus ipse. TRIDENTINUM, *sess.* 6, *cap.* 7, enumerans causas iustificationis, ita loquitur: « Huius iustificationis causae sunt : finalis quidem gloria Dei ... effi-

ciens vero misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat ... meritoria autem ... Iesus Christus ... instrumentalis item sacramentum baptismi ». Ergo causa efficiens est solus Deus; instrumentalis (non physica) est sacramentum; Christus vero est causa meritoria.

Secundum S. THOMAM nulla creatura physice gratiam causare potest. Ratio est, quia « in ipsam [animam] non intrat, nisi ille qui dat esse, scilicet creator Deus, qui habet intrinsecam essentiae operationem (In 2, d. 8, q. 1, a. 5 ad 3). — « Voluntatem immutare solius Dei est » (*Ver.*, q. 27, a. 3). — « Una est efficientiae [potestas], qua mundat interius animam a macula peccati; quam quidem potestatem habet Christus, inquantum est Deus, non autem inquantum homo; et haec potestas nulli alii potest communicari » (*In Ioan.*, cap. 1, lect. 14, n. 5). — « Aliquid dicitur cooperari alicui dupliciter. Uno modo, quia operatur ad eundem effectum, sed per aliam virtutem; sicut minister domino ... et instrumentum artificii, a quo movetur ... Secundum igitur primum modum creatura potest dici Creatori cooperari quantum ad aliquos effectus, qui fiunt mediante creatura; non tamen quantum ad illos, qui sunt immediate a Deo, ut creatio et sanctificatio » (*C. errores Grecorum*, cap. 23); sicut igitur nulla creatura esse potest causa instrumentalis physica creationis, ita neque sanctificationis.

Dicit quidem S. Doctor Christum qua hominem cooperari ad interiores sacramentorum effectus « efficienter » (3, q. 64, a. 3); sed etiam causa intentionalis efficienter in suos effectus influit. Ipse S. Thomas terminum « efficienter operari » adhibet in sensu, qui certe non dicit causalitatem physicam; ita Christus causavit nostram redemptionem per modum meriti, satisfactionis, sacrificii, efficientiae (3, q. 48); atqui meritum, satisfactio, sacrificium non erant causae physicae nostrae redemptionis.

Transsubstantiatio autem secundum S. Doctorem est « omnino supernaturalis, sola Dei virtute effecta ... Nul-

lum agens naturale, seu creatum potest agere nisi ad immutationem formae ... sed Deus est actus infinitus ... Unde eius actio se extendit ad totam naturam entis. Non igitur solum potest perficere conversionem formalem ... sed conversionem totius entis ... et hoc agitur divina virtute » (3, q. 75, a. 4). Non intellegitur, quid in tali opere prorsus divino faciat duplex causa instrumentalis physica, videlicet sacerdos humanus cum verbis consecrationis et humanitas Christi.

Humanitas Christi est *instrumentum Verbi,* quatenus Verbum per naturam assumptam elicit operationes humanas, quae igitur omnes et singulae vere sunt humanae actiones secundae personae divinae. Praeterea natura Christi humana semper perfectissime voluntatem divinam cognoscit et facit. In operationibus, quae « mixtae » dicuntur, quales sunt patratio miraculorum, infusio gratiae, transsubstantiatio, actio humana subordinatur divinae ut principali. At haec subordinatio per se diversa esse potest. Humanitas Christi non necessario dici debet instrumentum, quo physice mediante Divinitas effectum producit; aeque bene cogitari potest ut instrumentum Verbi physicum, ratione et libertate praeditum, quo *influxum moralem exercente* Deus movetur ad effectum producendum. Humanam Christi naturam qua causam instrumentalem physicam producere gratiam vel transsubstantiationem, hucusque nemo probare potuit. De SS. Patribus scribit P. Galtier, *De Incarnatione ac Redemptione,* n. 425 : « Manet igitur Patribus penitus ignotam fuisse virtutem *ordinis creati,* humanitati Christi collatam, quam physice influentem Verbum adhibuerit ad effectionem miraculorum. Quod carne tanquam organo Verbum utatur, hoc Patribus est simpliciter indicio voluntatis ut agnoscatur esse vera carne indutus qui miracula facit. — Quotquot igitur argumenta ducuntur ex notione vulgari instrumenti physici, ea sunt praeter mentem eorum, nec proinde

ut patristica haberi debent. Manent simpliciter a priori et factum statuendum supponunt ».

Alia ratio cur causalitas physica humanitatis Christi in efficienda transsubstantiatione impossibilis appareat, est quia sic haberetur *actio in distans*. Sane est res difficilis ad intellegendum, quomodo Christus homo in caelo exsistens physice operetur in tam diversis partibus mundi, et semper quando celebratur Missa. Neque multum iuvat dicere, ad causalitatem physicam instrumentalem exercendam non opus esse contactu physico, sed Deum, quippe qui sit agens principale ubique praesens, virtutem instrumentalem humanitatis Christi adducere posse ad obiectum, in quod operari debeat. Nam dato hoc, non concesso, adhuc explicandum est, quomodo voluntas humana in caelo exsistens *influxu physico* efficiat tot transsubstantiationes, quae cotidie in diversis partibus mundi fiunt.

Maxime autem notandum est Dominum, in oblatione sacrificii, non esse merum instrumentum, sed causam *principem*. Nam duplex transsubstantiatio ex natura sua nondum habet rationem sacrificii, licet apta sit ut habeat. Nam re mere in abstracto considerata, Dominus potuit panem et vinum in corpus et sanguinem suum convertere et discipulis dare ad manducandum et bibendum, quin obtulerit sacrificium; potuit etiam Ecclesiae mandare, ut idem faceret; quod conversio panis et vini est signum, quo Dominus manifestare vult internam sui oblationem, hoc est ex humana Christi voluntate. Hinc in oblatione sacrificii Dominus est causa princeps, non instrumentalis.

4) Ex hucusque dictis constare videtur Christum vere dici posse *actualiter* in Missa offerre, quin actu praesenti in consecrationem influat. Necessitas talis actus probari nequit; immo, obstare videntur seriae difficultates. Nihilominus eiusmodi actus admittendus esset, si eius exsistentia aliis solidis argumentis demonstrari posset. Loqui-

mur igitur de actu voluntatis humanae Christi, qui *qua* nunc praesens simul cum sacerdote humano causaret transsubstantiationem. Per se hic actus cogitari potest ut formalis actus oblativus *novus*, quem Dominus pro unaquaque Missa de novo eliciat; vel posset esse unus idemque actus oblationis in cena novissima elicitus et per saecula duraturus.

Sane Christus in caelo exsistens vi scientiae beatae videt actionem oblativam sacerdotis humani, quae est moraliter actio Christi ipsius, eamque vult et approbat et ad Dei cultum ordinat. Vult ut verba consecrationis, suo nomine prolata, efficiant quod significant. In quolibet Missa mysticam sui ipsius mactationem fieri vult seseque ut victimam duplici consecratione symbolice mactatam Patri offert. Consecratione in altari fit praesens, et cum eo praesentes fiunt iidem actus, quos anima eius sanctissima in caelo elicit. Concedi potest sacrificium eucharisticum hoc sensu exprimere internam et praesentem voluntatem Domini sacrificam.

At, primum, isti actus, in se spectati, non habent rationem sacrificii proprie dicti, quippe quod essentialiter sit actus externus exprimens oblationem internam. Deinde vero, ut Christus vi illorum actuum dici posset principalis offerens sacrificiorum, quae hac in terra offeruntur, actus deberent ita influere in sacerdotem humanum, ut huius actio oblativa fieret vi illorum actuum Christi. Atque hoc etiam valet de actu in cena elicito et nunc adhuc praesenti, *quatenus ut praesens consideratur*. Hoc autem, ut iam vidimus, saltem probari nequit. Denique, si omnes illi actus non essent hic et nunc in anima Christi, sacerdos vero nihilominus consecraret, id quod sine dubio facere posset, nonne sacrificium aeque vere perficeretur?

Ergo praesens Christi actus ad sacrificium Missae neque necessarius neque etiam sufficiens esse videtur. Non apparet connexio necessaria inter hunc actum et actum externum sacerdotis consecrantis. Hic actus sacerdotis

non exprimit actum Christi internum praesentem, sed actum in cena habitum. Si unica oblatio olim in cena facta dicitur permanere sine interruptione, id quod non negamus, tunc oblatio influit in celebrantem non quatenus nunc in anima Christi praesens est, sed quatenus olim in cena est facta, respiciens et animans omnes oblationes futuras.

5) Ad probandum actum oblativum Christi praesentem provocant ad Concilium Tridentinum, *sess. 22, cap. 2,* ubi declaratur Christum esse nunc offerentem, et sacrificium Missae a sacrificio Crucis differre sola offerendi ratione; iam vero si Christus non actu praesenti operaretur in Missa, esset alia magna differentia, nimirum ratione offerentis. — At Concilium his verbis certe noluit condemnare sententiam Scoti. Deinde iam supra vidimus verba bene intellegi posse sine tali actu. Nam etiamsi consecratio fiat sine tali actu, Christus nihilominus vere ac proprie est nunc offerens principalis; diversitas autem in ratione offerendi est (etiam) in eo, quod in Missa Christus offert « sacerdotum ministerio »; offerens ipse est omnino idem.

Argumentum secundum desumitur ex eo, quod humanitas Christi tamquam *instrumentum Divinitati coniunctum* sui conscium concurrit ad quamlibet transsubstantiationem; atqui in hac habetur quoque actus oblativus; ergo Christus actualiter quoque offert. — At nonne Christus sufficienter concurrit, si est causa principalis oblationis? Dominus, instituens sacrificium eucharisticum vidit et voluit etiam hanc Missam per hunc sacerdotem offerendam, eamque voluit ut manifestationem oblationis suae internae in cena et in cruce factae; ergo ad hanc Missam concurrit sciens et volens. De causalitate instrumentali, sive physica sive intentionali, in casu non quaeritur; etenim non Deus mediante Christo sibi offert, sed Christus qua homo ut causa princeps offert Deo.

Argumentum « fundamentale » nititur in *traditionali interpretatione verborum Epist. ad Hebr. 7, 25*: Christus « semper vivens ad interpellandum pro nobis »; cf. etiam Hebr. 9, 11; Rom. 8, 34. Consideramus hoc argumentum, uti proponitur a R. Garrigou-Lagrange, *De Eucharistia*, pag. 293-296. Ratio est, quia hic auctor ex recentioribus magis explicite tractavit quaestionem de oblatione virtuali et actuali, et hoc argumentum dicit « primum et fundamentale » (pag. 296). Vide etiam quae idem auctor scripsit in *Angelicum* 19 (1942), 105-118. Cum verba Apostoli sola in se sumpta doctrinam non clare contineant, provocant ad eius traditionalem interpretationem. Non volumus huic argumento abiudicare omnem vim; sed uti hucusque propositum est, rem non plane evincere videtur.

Ex Patribus ab *auctore* citantur: S. Irenaeus, *Adv. haer.* 4, 32 et 34: « Per Iesum Christum offert Ecclesia »; — S. Cyprianus, *Epist.* 63: « Sacerdos in altari vice Christi fungitur et sacrificium verum ac plenum Deo Patri offert »; — S. Gregorius Nyss., *In Christi resurrect.*, or. 1: « Seipsum pro nobis hostiam offert et victimam immolat »; — S. Ambrosius, *In Ps 38*, n. 25-25: « Ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur. Et ipse quidem nobis apud Patrem advocatus assistit; sed nunc eum non videmus; tunc videbimus, cum imago transierit, veritas venerit. Ascende ergo in caelum ... videbis aeternum atque perpetuum sacerdotem »; — Ambrosiaster, *In Rom* 8, 34: Christus « resurgens semper causas nostras agit apud Patrem. Cuius postulatio contemni non potest: quia in dextera Dei est »; — S. Augustinus, *De civ. Dei* 10, 20: « Christus ipse offerens, ipse est oblatio »; — S. Gregorius M., *In 5. Ps paenit.*: « Quotidie Christus orat pro Ecclesia, de quo testatur Apostolus Paulus Hebr. 7, 25 ».

At paucissimi ex istis textibus interpretantur Hebr. 7, 25 vel Rom. 8, 24; vix unus autem loqui videtur de actu

Christi caelesti, qui *qua* nunc praesens causet consecrationem in Missa. Idem valet de multis iis, quae allegantur ex S. Chrysostomo. Hic dicit quidem, *De proditione Iudae, hom.* 1, 6: « Adest Christus, et nunc is, qui mensam illam paravit ,hic ipse hanc nunc exornat. Non enim homo est qui facit ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi, sed ipse Christus qui pro nobis crucifixus est. Figuram implens stat sacerdos verba illa proferens, virtus autem et gratia Dei est. ' Hoc est corpus meum ', inquit. Hoc verbum transformat ea quae proposita sunt ». Haec primo intuitu videntur intellegenda de actu praesenti offerente. At immediate S. Doctor pergit: « Et quemadmodum vox illa ' Crescite et multiplicamini et replete terram ' semel quidem prolata est, omni vero tempore naturae nostrae vim praebet ad filiorum procreationem; ita et vox haec semel prolata in ecclesiis ad unamquamque mensam ab illo ad hodiernum tempus et usque ad eius adventum sacrificium perfectum efficit » (MG 49, 380).

Ex dictis patet S. Chrysostomum conversionem panis et vini non attribuere alicui actui praesenti qui nunc e caelo influat, sed unice verbis consecrationis a sacerdote humano prolatis; nihilominus ipse Dominus « *nunc* » offert, quatenus « figuram implens stat sacerdos verba illa proferens, virtus autem et gratia Dei est ». Habemus igitur in Missa iterum actionem vicariam, quae in eodem sensu intellegenda est, in quo S. Augustinus explicat activitatem Christi in sacramentis conficiendis.

Similiter S. Ioannes Dam., *De fide orth.* 4, 13: « In principio dixit: ' Producat terra herbam virentem ', et ad hanc usque diem, accedente imbre divino praecepto impulsa et roborata, fetus suos profert. Dixit perinde Deus: ' Hoc est corpus meum ... Hoc facite in meam commemorationem '; idque omnipotenti eius praecepto, donec veniat efficitur ... per invocationem huicce novae segeto imbre superveniente » (MG 94, 1140s).

S. Thomas, pro oblatione « actuali » non videtur adduci posse. Citatur quidem in eius favorem *Comment. in Epist. ad Hebr.* 7, 25: « Christus semper vivens interpellat pro nobis, primo humanitatem suam, quam pro nobis assumpsit, repraesentando. Item sanctissimae animae suae desiderium, quod de salute nostra habuit, exprimendo, cum quo interpellat pro nobis ». — *Ad Hebr.* 9, 11: « Ipse ut mediator assistit Patri ad interpellandum pro nobis ... Item assistens nobis ad auxiliandum ». — Similiter in *Comment. in Epist. ad Rom.* 8, 34. — In *S. Th.* 2, 2, q. 83, a. 11 scribit: « Cum oratio pro aliis facta ex caritate proveniat, quanto sancti, qui sunt in patria, sunt perfectioris caritatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus iuvari possunt, et quanto Deo coniunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces; habet enim hoc divinus ordo, ut ex superiorum excellentia in inferiora refundatur, sicut ex claritate solis in aerem. Unde et de Christo dicitur ad Hebr. 7, 25: Semper vivens ad interpellandum pro nobis ».

In omnibus istis textibus S. Doctor interpretatur Rom. 8, 34 et Hebr. 7, 25. Explicat, quomodo intellegat verba Apostoli; at nihil dicit de ratione, qua Christus influat in sacerdotem celebrantem. Si caelestem Christi interpellationem vidit in eo, quod Christus praesenti voluntate non tantum velit, ut consecrationis verba, suo nomine prolata, continuo quod significant operentur, sed quod Dominus ipse in singulis sacrificiis, vel mediante sacerdote vel alio modo, transsubstantiationem efficiat et actu sacrificet, cur hoc numquam dicit? In multis illis textibus habuit amplam occasionem hoc dicendi. Christus interpellat pro nobis, sicut sancti caelites pro viatoribus ex caritate orant (2, 2, q. 83, a. 11); num sancti in patria actu sacrificant? Estne interpellare pro nobis, humanitatemve praesentare, desiderium nostrae salutis exprimere ex conceptu idem ac oblatio « actualis »? Remanet igitur, ut scribit R. Garrigou-Lagrange, *o. c.* pag. 295, « quod

secundum S. Thomam Christus etiam nunc in caelo exsistens vere et proprie orat, nobis beneficia divina postulando, et actualiter exercet virtutem religionis ut supremus sacerdos in aeternum »; sed non sequi videtur, ut Christus actu praesenti efficiat transsubstantiationem vel ulla alia ratione actu nunc sacrificet. Dominus potest pro nobis orare, nobis divina beneficia postulare et exercere virtutem religionis, quin actu praesenti sacrificet. In caelo interpellat pro nobis, Deum adorat eique gratias agit; in terra administrat sacramenta et offert singulas Missas, sed ministerio sacerdotum. Ita nunc exercet functionem suam sacerdotalem. De influxu causali in singula sacrificia per actum nunc praesentem *qua praesentem* S. Thomas nullibi loqui videtur. — In *Sum. Theol.* 3, q, 83, a. 1 Doctor Angelicus sibi facit hanc obiectionem: « In immolatione Christi idem est sacerdos et hostia; sed in celebratione huius sacramenti non est idem sacerdos, et hostia; ergo celebratio huius sacramenti non est Christi immolatio ». Responsum efficacissimum fuisset dicere: In Missa quoque sacerdos est simpliciter idem; Christus uti in cruce actu voluntatis suae Patri se obtulit, ita etiam in Missa proprio actu nunc praesenti sese offert. Si S. Doctor hanc opinionem habuit, cur non ita respondet? At responsum est aliud: « Sacerdos gerit imaginem Christi, in cuius persona et virtute verba pronuntiat ad consecrandum ... et *ita quodammodo* idem est sacerdos ». Verba haec afferuntur ad probandam oblationem « actualem »; at videntur probare contrarium: Christus in Missa est offerens, quia sacerdos gerit imaginem Christi, in cuius persona et virtute pronuntiat verba ad consecrationem; alia ratio non affertur; de actu Christi nunc praesenti nihil dicitur.

Eamdem rationem, eamque solam, S. Doctor saepe affert. « In verbis formalibus huius sacramenti est quaedam virtus creata ad conversionem huius sacramenti faciendam, instrumentalis tamen ... Cum enim haec verba

ex persona Christi proferantur, ex eius mandato consequuntur virtutem instrumentalem a Christo » (3, q. 78, a. 4). — Ad quaestionem, utrum consecratio huius sacramenti sit propria sacerdotis, respondet : « Hoc sacramentum est tantae dignitatis, quod non conficitur nisi in persona Christi. Quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam : sicut autem baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc sacramentum, ita sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est a Domino, Luc. 22 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Et ideo dicendum est, quod proprium est sacerdotum conficere hoc sacramentum .. .Virtus consecrativa non solum consistit in ipsis verbis, sed etiam in potestate sacerdoti tradita in sua consecratione et ordinatione » (q. 82, a. 1). — In sequenti articulo dicit plures sacerdotes posse unam eandemque hostiam consecrare, quia « sacerdos ... cum ordinatur, constituitur in gradu eorum, qui a Domino acceperunt potestatem consecrandi in coena » (a. 2). — Etiam malus sacerdos consecrare potest, quia, « sicut supra dictum est, sacerdos consecrat hoc sacramentum non virtute propria, sed sicut minister Christi, in cuius persona consecrat hoc sacramentum » (a. 5). — Cf. praeterea q. 82, a. 6. 7. 8. 9; q. 83, a. 1.

In his omnibus S. Thomas influxum humanitatis Christi in sacrificium eucharisticum offerendum reponit in eo, quod Dominus illud instituerit per ministros suos offerendum eisque per sacramentum Ordinis conferat potestatem ad offerendum, et quod sacerdotes ex hac potestate et ex Christi persona proferant verba consecrationis. Aliam rationem numquam affert; Christum actu praesenti ad consecrationem concurrere, nullo modo indicat.

Verum est Aquinatem accurate distinguere orationes, quas celebrans dicit in proprio nomine, ut *Confiteor*; orationes, quas dicit in nomine Ecclesiae : *Oremus*; et verba

consecrationis, quae profert proprie in nomine Christi. Sacerdos non dicit: « Ego consecro in nomine Christi », sicut dicit: « Ego te baptizo »; sed profert ipsa Christi verba: « Hoc est corpus meum »; eaque profert non solum recitative, sed practice, ad producendam hic et nunc transsubstantiationem propriissime in nomine Christi. At haec omnia non plus probant quam consecrationem esse actionem vicariam Christi. Hoc S. Doctor saepe dicit, sed nihil aliud; de oblatione « actuali » nullibi loquitur.

4) *Consequentiae* in ordine spirituali pro celebrante et pro fidelibus in sententia, quam sub 1) et 2) proposuimus, non sunt aliae quam in oblatione « actuali », sed prorsus eaedem. Imprimis Missa in hac explicatione *non privatur valore suo infinito*; nam etiam sic Christus non tantum est hostia, sed etiam offerens principalis. Bene scribit R. Garrigou-Lagrange (*o. c.* 290): « In sacrificio in genere oblatio interior, quae exprimitur ab immolatione externa victimae, est pars principalis sacrificii, scil. id unde sumitur eius valor religiosus et eius realismus. Sacrificium enim exterius est in genere signi, dum oblatio interior cum adoratione reparatrice et oratione est res significata, et, sine ea, id quod fit exterius esset actus sine valore ut sacrificium Caini vel ritus pharisaicus. Insuper quando agitur de sacrificio Missae, plus valet, ut patet, oblatio interior principalis offerentis, sensibiliter expressa in verbis consecrationis et in sacramentali immolatione corporis Christi, quam interior oblatio ministri celebrantis et ipsius populi assistentis. Unde in nostra quaestione agitur de interiori Christi hominis actu, qui est *velut anima sacrificii Missae* ». Iam vero oblatio interna, quae per verba consecrationis exprimitur, non est actus humani sacerdotis, sed est internus Christi actus, et quidem numerice (!) idem actus, qui exprimitur oblatione « actuali »; hic enim dicitur esse, in utraque sententia, actus oblationis Christi internus, in cena novissima

elicitus et (secundum multos) sine interruptione usque in finem saeculi perdurans. In utraque sententia est etiam Christus ipse, qui hunc actum exprimit mediante sacerdote humano, quatenus ut causa princeps per sacerdotem ut ministrum efficit consecrationem; sed in oblatione « actuali » haec causalitas habetur per actum Christi nunc praesentem, et *qua* praesentem; in oblatione autem, ut a nobis concipitur, per eundem actum, non quatenus est nunc praesens, sed quatenus in ultima cena elicitus omnia sacrificia eucharistica futura respiciebat et animabat. Sed idem sacerdos humanus *numerice eandem Christi oblationem internam eadem consecratione exprimit.*

Hinc Missa non privatur valore suo, quomodocumque hic secus explicetur; nam Christus ipse non tantum est hostia, sed etiam offerens principalis, qui *suam propriam oblationem internam,* in cena et in cruce factam, per celebrantem humanum manifestat.

Neque *celebrans* destituitur alta sua dignitate qua ministri Christi et dispensatoris mysteriorum Dei. Etiam in oblatione actuali vicaria vere pro Christo legatione fungitur; Christi rem gerit, Christi personam sustinet, Christi nomine agit, Christi vices explet. In sacro faciendo tam arcte sese Christo principaliter offerenti unit, tam directe et immediate ut eius organum operatur eique quasi linguam et manus suas offert, ut vere Christus per celebrantem sacram actionem perficere dicendus sit. Est vere « alter Christus » et quodammodo personificatio viva Christi sacerdotis, cuius functiones exercet. Hinc bene meminerit potestatem offerendi non esse propriam; sed vices gerere Christi Regis et Summi Sacerdotis. Offerat igitur ea cum reverentia et gravitate, ea diligentia et intentione, quae dignitati huius tremendi sacrificii et maiestati Christi principaliter offerentis correspondeant. Cum ex persona Christi agat, atque Christus ipse per eum propriam suam oblationem internam ad extra manifestet, etiam interne, mente et voluntate,

Christo sacerdoti sese coniungere debet et quam maxime intrare in eius mentem et voluntattem sacrificam, ex qua externa actio omnem suum valorem ac dignitatem mutuatur. Christi voluntas patiendi, moriendi, seseque sacrificandi in Dei honorem et hominum salutem eius ministrum quoque incedere et movere debet, ut non tantum actionem externam omni cum diligentia peragat, sed etiam seipsum suaque omnia sincera mente Deo offerat. Haec omnia in oblatione actuali *vicaria* non minus valent quam in oblatione « actuali ».

Si, momento consecrationis, celebrans est « aliquantulum distractus propter quaedam cultus particularia quae deesse possunt » (R. Garrigou-Lagrange o. c. 299), tunc in utroque casu est in eadem condicione. Etenim aut distractio est tanta, ut deficiat intentio ad valorem necessaria, tunc actus Christi praesens nihil iuvat; valor consecrationis non pendet ab actu Christi caelesti, sed a sacerdote humano. Aut consecratio est valida, tunc Missa, in quantum offerens principalis venit in quaestionem, semper est eadem, independenter a magis vel minus bona dispositione celebrantis humani.

Pro *fidelibus* autem consequentiae sunt prorsus eaedem ac in oblatione « actuali ». Etiam in oblatione actuali *vicaria* fideles considerare debent hominem esse solum Christi ministrum, et maiorem attentionem habendam esse offerenti principali. Valorem Missae infinitum, non solum ex parte victimae oblatae, sed praesertim ex parte offerentis principalis, aeque bene cognoscere possunt in oblatione actuali vicaria. Aeque bene etiam intellegent sacrificium Missae et sacrificium crucis esse idem quoad substantiam, quamvis differant quoad modum.

Quare causalitas humanitatis Christi in Missa offerenda reducenda esse videtur ad influxum, quem humana Christi voluntas exercet in verba consecrationis. Hic vero influxus totus in eo esse videtur, quod Dominus sacrificium instituit et per sacramentum Oordinis sacerdoti

confert potestatem offerendi in suo nomine et ex sua persona ,et quod sacerdos hac potestate utitur et verba ex persona Christi profert. Haec requiruntur et sufficiunt, ut habeatur in Missa oblatio Christi actualis, sed vicaria. Ita Christus dici potest « nunc offerens sacerdotum ministerio ». Dominum actu praesenti *qua* praesenti concurrere ad transsubstantiationem ideoque etiam ad sacrificium, hucusque nondum videtur esse probatum.

IOSEPHUS MORS, S. I.

DE VI CANONIS 2254 § 1 IN ORDINE AD ABSOLUTIONEM CENSURARUM AB HOMINE

Ex pluribus punctis quos exegesis integra c. 2254 § 1 attingere et explanare debet, excerpimus unum dumtaxat, quod totum pertinet ad inteligendam extensionem facultatum ibi concessarum: num scl. in casibus urgentioribus concedatur a iure, vi citati canonis, facultas absolvendi a censuris ab homine. Et quia certa ab incertis, communiter admissa a controversis volumus secernere, censuras ab homine in hac dissertatione eas solas significamus, quae pro omnibus sunt tales: nimirum, censuras ferendae sententiae quae per modum praecepti peculiaris vel per sententiam iudicialem condemnatoriam *inflictae sunt*. Nam aliae censurae latae per praeceptum vel declaratae per sententiam, si forte habeantur ut censurae ab homine, facilius admittitur comprehendi inter eas quae vi citati canonis absolvi possunt in casibus urgentioribus

Statu quaestionis sic summarie indicato, in animo habemus ostendere *censuras ab homine,* prout eas hic intelligimus, *posse absolvi* directe vi facultatis in citato canone concessae.

Modus procedendi is erit, ut praemittamus quae ab auctoribus de hac materia scripta sunt, sive in sententiam adversam sive in favorabilem; deinde, nostram opinionem aperiamus.

1. **Aperte et expresse affirmant** ex facultatibus canone 2254 § 1 concessis *excludi censuras ab homine,* inter auctores recentiores magis notos et communiter probatos:

F. Roberti sic principium vigens proponit: « quilibet confessarius, in casibus urgentioribus, potest absol-

vere ab omnibus censuris *latae sententiae,* iniuncto onere recurrendi ... Omnes censurae latae sententiae possunt absolvi, quacumque ratione reservatae fuerint ... nec excluduntur ... quae sive Pontificis ... sive Ordinariorum iure particulari aut per praeceptum constitutae sunt (cf. c. 2254 § 1: *quoquo modo* reservatis) ... *Excluduntur contra omnes censurae ferendae sententiae* quae postquam irrogatae fuerint fiunt ab homine et stricte irroganti reservantur ... »[1].

Wernz-Vidal scribit: « In casibus vere urgentioribus quilibet sacerdos approbatus potest absolvere a *quibuscumque censuris papalibus* sub poena tamen (generatim) reincidentiae ... ». Sed, quamquam expressio adhibita est generalis et posset includere poenas ferendae sententiae quae sunt in iure communi, aperte ille reprobat talem inclusionem, siquidem agit de censuris *a iure latis* (cf. titulus n. 262 et 263), postquam prius egerat (n. 261) de « censuris specialiter *ab homine* latis sive per praeceptum particulare sive per specialem sententiam iudicialem », a quibus absolvere nequit nisi « ille qui censuram tulit aut eius successor aut superior competens aut ipsorum delegatus »[2].

L. Miguelez, dum notis illustrat textum c. 2253, observat ad 3° ibi agi de censuris *latae sententiae*; nam « si sunt ferendae et applicatae sunt per actum iudicis vel superioris, considerantur tanquam *ab homine* ... et incidunt in normam c. 2243, 2° », ac consequenter earum absolutio est reservata ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit eiusve superiori, successori aut delegato. Et memorat quemdam « qui opinatur posse, fortasse, absolvi

---

1 *De delictis et poenis*[2] (Roma 1944) 317. In pag. 361 nota 4 rationem supponit cur absolvi possint censurae latae per praeceptum, quia non sint ab homine. Secus eas quoque excluderet.

2 *Ius canonicum* VII[2] (Roma 1915) 261-263.

etiam a censuris ferendae sententiae applicatis per decretum particulare vel per sententiam iudicialem »[3].

C. a CORONATA sic mentem suam prodit: « Agitur hic solummodo de censuris latae *sententiae* at, ut videtur, de omnibus censuris huiusmodi, sive per praeceptum, sive per legem latis ... ». Sed censuras latae sententiae manifeste contradistinguit a censuris *ab homine* per sententiam aut praeceptum peculiare *inflictis*, ut eruitur ex nota 4 paginae 188, atque expresse asseritur inferius in ipso textu: « Excluditur etiam absolutio a quibuslibet censuris ferendae sententiae, quia tales ... postquam inflictae, sunt censurae *ab homine* ... »[4].

EICHMANN-MÖRSDORF concise et resolute hoc pacto: « Facultas confessario concessa in casibus urgentioribus non extenditur ad censuras per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam inflictas, sed solum ad censuras ipso facto initas et latae sententiae ex aliqua ratione »[5].

D. PRÜMMER breviter: « quilibet confessarius in casibus urgentioribus ... potest directe absolvere ab omnibus casibus a iure, *et non ab homine*, reservatis ... »[6].

AERTNYS-DAMEN, postquam excripsit c. 2254 § 1, sic commentatur: « Haec facultas valet etiam pro absolutione a censuris iure particulari reservatis ... non vero pro absolutione a censuris *ab homine* ». Imo, his addit: « Neque facultas videtur valere pro censuris reservatis latae sententiae, contractis *vi praecepti peculiaris* ... »[7].

B. H. MERKELBACH, simili ratione agendi, relatum canonem illustrat: « Facultas conceditur pro censuris a

---

[3] *Código de derecho canónico*[3] (Madrid 1949). Annotationes ad c. 2253, 2254.

[4] *Institutiones iuris canonici,* IV[3] (Turín 1948) 1762.

[5] *Lehrbuch des Kirchenrechts* III[6] (Paderborn 1950) pag. 376.

[6] *Manuale theologiae moralis* III[8] (Friburgo de Br. 1936) 425.

[7] *Theologia moralis* II[15] (Turín 1947) 994 bis.

iure, universali aut particulari, latae sententiae, *non pro censuris ab homine ...* » [8].

GENICOT-SALSMANS, agendo de censuris ab homine, asserit: « censura *ab homine* in casu urgenti *non potest absolvi* vi c. 2254 ». Et inferius, dum canonem de casibus urgentioribus commentatur: « Omnes censurae latae sententiae ... absolvi possunt ... *Expresse excluduntur censurae ab homine* et ferendae sententiae per sententiam condemnatoriam incursae » [9].

S. a LOIANO, inter observationes ad canonem explicandum, ponit secundo loco: « quod agatur de censura latae sententiae: *non ideo quae est ferendae sententiae et proinde ab homine* » [10].

L. WOUTERS sententiam hucusque relatam, sub conceptu obscuriori, suo voto rigidius confirmat, et aliqua consideratione vult fulcitam. Scribit enim: « Casus urgens est, si censura *latae sententiae* exterius servari nequeat ... quocirca dubitatur, num facultas se extendat ad censuram ab homine contractam vi praecepti peculiaris, si sit latae sententiae. Iam vero negandum videtur; nam si ad eam censuram sese extenderet, utique ... et expresse nominaretur, et explicite de ea mentio fieret in recursu post absolutionem instituendo » [11].

T. A. IORIO, in nota ad proprium commentarium observat: « In concessione c. 2254 non comprehenditur per se absolutio a censuris *ab homine,* sicut nec ab iis quae per sententiam iudicialem infliguntur vel declarantur ... » [12].

I. UBACH, postquam circa censuras ferendae sententiae scripserat in nota 4 ad n. 900, minus quidem cohae-

---

8 *Summa theologiae moralis* III3 (Brujas 1940) 597 C.

9 *Institutiones theologiae moralis* II17 (Brujas s. a.) 870. 874.

10 *Institutiones theologiae moralis* IV (Turín 1940) 316.

11 *Manuale theologiae moralis* II (Brujas 1933) 865, 2.

12 *Theologia moralis* III6 (Nápoles 1940) 584 pag. 355 nota 1 B.

renter cum immediate praecedentibus: « poterit tamen pro foro conscientiae absolvi in casibus urgentioribus cum onere ad competentem auctoritatem recurrendi », deinde, dum ex professo c. 2254 commentabatur, indubitanter asseruit: « Non comprehenduntur censurae *ferendae sententiae* quae iam sint inflictae; proinde haec absolutio non datur a censuris *ab homine* ».[13].

G. COCCHI, adductis rationibus quarum efficaciam lectori considerandam committimus, hoc habet: « agitur de quacumque censura *latae sententiae* ... a iure, et exclusa censura *ab homine* vi canonis 2252, et ad normam praecedentis Iuris[14], non autem de censura inflicta per sententiam, haec enim iam *publica* facta est et servari debet in foro quoque externo cum fama non sit integra »[15].

NOLDIN-SCHMITT non sibi proponunt, quantum scimus, hanc quaestionem explicite; expositio tamen quam faciunt c. 2254 favet solutioni negativae, non contineri scl. in eo facultatem absolvendi a censura *ab homine*[16].

FERRERES-MONDRIA, dum admittit probabiliter canonem extendi « ad censuras l. s. ab homine, sc. latae per praeceptum *generale* et ipso facto incurrendae », reprobat Mostaza, quem *unum* ait contendere extensionem ad censuras *ferendae sententiae*. Unde mens auctorum negativa satis patet[17].

---

13 *Compendium theologiae moralis* II (Friburgo de Br. 1927) 900 nota 4. 906. 3.

14 Hoc loco citat CAPPELLO 132, 4 et BLAT l. 5 n. 78.

15 *Commentarium in Codicem iuris canonici* l. V2 (Turín 1928) 79 β.

16 *Summa theologiae moralis* III 27 (Innsbruck 1941) 367. Ibi, ad c verba canonis « quoquo modo reservatis » interpretatur de *gradu* reservationis: Ordinario vel S. Sedi simpliciter, speciali vel specialissimo modo.

17 *Compendium theologiae moralis* II17 (Barcelona 1950) 636, pag. 401-402, nota 4.

2. Generalius dicunt censuras latae sententiae comprehendi, ita tamen ut hac ratione loquendi absque dubio velint excludere ab absolutione in casibus urgentioribus censuras ab homine, quales supra descripsimus, inter alios:

I. TEODORI, cuius haec sunt verba: « Quando autem casus sit urgentior ... expresse in praefato canone statuitur; cum nempe censura *latae sententiae,* hoc est iam contracta, exterius servari nequeat ... aut durum sit ... »[18]. Certe ipsa censura ferendae sententiae, postquam inflicta fuerit, est iam contracta; sed de ea manifesto non cogitat Teodori, cum in sua explicatione mere referat verba canonis, et quidem omittendo particulam condicionalem *si* in secundo membro: « aut *si* durum sit ».

I. CHELODI summarie rem proponit, sine explicationibus: « In casibus urgentioribus quilibet potest absolvere ab omnibus censuris *latae s.* quoquo modo reservatis »[19].

3. Facultatem absolvendi a censuris ferendae sententiae haberi in determinatis casibus, *admittit* Capello, non quidem vi c. 2254, id quod potius resolute negat, sed in fine finali, ut opinamur, ex principio generali: Lex positiva non obligat cum incommodo improportionate gravi ipsi extrinseco. Eius autem auctoritate innixi plures eam facultatem, ut certam vel probabilem, admittunt, ut in sequentibus exponitur.

CAPPELLO hac ratione procedit in explicandis his quae nostra intersunt: primum enumerat tres casus urgentiores: « *a*) quando censura *latae sententiae,* i. e. iam contracta, exterius servari nequit sine periculo gravis scandali; *b*) quando *eadem censura* servari nequit sine periculo infamiae; *c*) quando durum est ... in statu gravis peccati permanere ... ». In hac enumeratione non neces-

---

18 *Consultationes iuris canonici* I (Roma 1934) pag. 281.

19 *Ius canonicum de delictis et poenis*[5] (Vicenza 1943) 35.

sario excluderentur a tertio membro, ex modo loquendi, censurae ferendae sententiae; sed certe excluduntur ex mente auctoris, ut ex pluribus indiciis patet, et nominatim ex eo quod quaestionem de absoluzione censurarum ab homine seiungit ab hoc commentario (cf. n. 126, 6° sub fine) et reservat pro speciali studio.

Dum hoc speciale studium aggreditur, eius prima propositio non est ambigua neque haesitans: « Nonnulli interpretes Codicis dicunt, in casibus urgentioribus confessarium absolvere posse etiam a censuris *ab homine.* Quod, *per se et absolute loquendo, verum non est.* Sane c. 2254 § 1 *evidenter,* licet implicite, *excludit absolutionem ab his censuris* ... », non enim dicit recurrendum esse « ad illum qui censuram tulit », ut habetur in c. 2252. Et huic addit alias duas rationes, quarum neutram validam censemus; nam licet absolutio « non prodest nec prodesse potest per se in foro non sacramentali », minime est parvioris momenti quod prosit in interno; et veritati non congruit quod « vix concipitur recessus [a contumacia] sine recursu ad eum qui censuram tulit », praesertim cum ipsemet admittat (n. 124, 4°) casum urgentem posse verificari, pro peculiari dispositione paenitentis, si per « paucas horas, unam alteramve », debet ille remanere sine absolutione sacramentali.

His non obstantibus, ait confessarium posse absolvere « ad normam c. 2254 »: α) si censura ab homine est *occulta in loco confessionis*; β) imo, etiam in loco ubi est publica vel notoria, « uti patet ex c. 2251, dummodo paenitens sincere paratus sit quodvis mandatum demisse accipere ... »; e contra, γ) « si agitur de delicto ad iudicem fori externi iam deducto, confessarius per se nequit absolvere », nisi « reus versetur in loco ubi delictum penitus ignoratur, aut secus per longum tempus manere debet in statu peccati mortalis »; δ) similiter, « si censura sit *declarata,* et quidem nominatim et publice ... absolutio per se in foro sacramentali tantum dari non potest ...;

applicatur tamen ... exceptio modo relata »; tandem, « si censura non sit nominatim declarata, aut ... non ... publice ..., confessarius potest absolvere ad normam c. 2254 *quia censura in casu est occulta ...* »[20].

Haec quam relationem logicam et specificam habeant cum canone de casibus urgentioribus nobis minus apparet. Clarus enim auctor non potest iure ex ipso c. 2254 derivare facultates quas nihilominus admittit, si iste canon *evidenter* excludit absolutionem a censuris ab homine. Aliunde, ex principio generali « lex positiva non urget cum nimio incommodo », si locus sit eius applicationi, supervacaneum est facere plures distinctiones et limitationes quas ille facit. Ceterum nos omnino latet cur adeo insistat in verificatione condicionum quas *aperte requirit canon,* et in valore absolutionis pro solo foro *interno,* et quare inde speciales consequentias velit eruere pro absolutione censurarum ab homine, cum hoc proprium sit cuiuslibet absolutionis vi istius canonis impertitae; et qua ratione adeo attendat ad eventualem conflictum, in hac re exigui valoris, inter forum internum, ut inde consequentias magni momenti derivet, et tandem eas praetermittat facultatemque absolvendi agnoscat, si « per diuturnum tempus reus ... deberet secus in statu peccati mortalis permanere »; quae sane est una ex condicionibus elementaribus pro applicatione canonis, nimis ab eo praetermissa cum insistit in notitia quae habeatur censurae.

V. Heylen, postquam proprio marte opinatus est: « *per se excluduntur* ... omnes censurae *ferendae sententiae* quae, postquam irrogatae fuerint, fiunt *ab homine* et stricte irroganti reservantur », addit auctoritate P. Cappello fulcitus, non prohiberi absolutionem censurarum ab homine in hisce casibus: « si reus versetur in loco ubi omnino ignoratur censura ...; si recursus ad eum qui sen-

---

20 *De censuris*[4] (Turín 1950) 124. 133.

tentiam tulit, etc. sit impossibilis ..., sive censura seu sententia in loco confessionis ignoretur sive cognoscatur »[21].

Similiter IORIO et CORONATA, quorum personales opiniones supra retulimus, ex auctoritate P. Cappello moventur: primus, ad excipiendas « forte ... in aliquo casu [censuras ab homine, quae] de facto occultae evadant »[22]; alter, ut non audeat reicere *exceptiones* istas, « utpote bono animarum consulentes », imo ut eas iustificet « *ex incommodo gravi* quod in illis casibus habetur in observanda censura », licet ceteroquin candide ait: « quibus fretus argumentis [Cappello permittit absolutionem censurarum ab homine] nescio »[23].

4. **Contineri in c. 2254 facultatem absolvendi a censuris ferendae sententiae** novissime affirmavit Fanfani, et, quod mirum est cum contradicat choro fere unanimi ceterorum, nullam addens rationem: « a censuris quoquo modo reservatis ... idest sive sint *ab homine* vel ab iure, sive reservatae Ordinario vel S. Sedi ... »; ubi, ut patet, expressionem « quoquo modo » non ad solum gradum reservationis vel eiusdem originem refert, ut plerique solent facere, sed etiam ad formam latae et ferendae sententiae[24].

VERMEERSCH-CREUSEN, implicite quidem in rigore logico annumerandi sunt huic opinioni; sed ignoramus num ita de facto opinati fuerint expresse, cum a casu urgentiore propter periculum gravis scandali vel infamiae excludebant censuras ferendae sententiae, dum silentium

---

21 *De censuris*⁴ (Malinas 1945) pag. 60.

22 IORIO, *Theol. mor.* III, 584 pag. 355 nota 1 β. Dubitamus num Iorio hoc admittat de censuris ab homine per praeceptum particulare inflictas; potius ipse agit de illis quae infliguntur per sententiam.

23 CORONATA, *Instit. I. C.* IV³ 1762, pag. 188 nota 4.

24 *Manuale theorico-practicum theologiae moralis* IV (Roma 1951) 355.

servabant circa hanc distinctionem quando referebant secundum membrum, « si durum sit paenitenti ... ». Sic enim scripserunt: « Haec causa casus urgentioris [periculum scandali vel infamiae] in censuris l. s. *tantum* occurrere potest; quae enim sunt f. s. et inflictae, cum publicae sint ... », implicite admittentes alteram causam posse occurrere etiam in censuris f. s.[25].

E. F. Regatillo quaestionem expressis verbis sibi proposuit et penitius examinavit, argumenta hinc inde ponderando, ut tandem concluderet: « Nobis improbabile non videtur eas [censuras ferendae sententiae per sententiam aut praeceptum iam inflictas] absolvi posse vi c. 2254 »[26]. Hoc asserit et tuetur post obiectas sibi tres difficultates; quod scl. hae censurae non memorantur in c. 2254 sicut in c. 2252; quod sint notoriae notorietate iuris, cui consequi solet notorietas facti; quod communiter teneant AA. contrarium.

Rationes ab ipso pro sua sententia invocatae sunt sequentes: *a*) Canonis redactio id suadet; nam duae assignantur causae ad absolvendum, et altera est communis censuris l. et f. s.; *b*) non est periculum contemnendi auctoritatem censuram constituentis, quia manet onus ad eum recurrendi; *c*) censura per praeceptum inflicta non est notoria, ideoque in eius observantia potest esse scandalum aut infamia; quare nequeat absolvi? *d*) absolutio est res iustitiae, non deneganda reo contumaciam deponenti; *e*) difficilius conceditur facultas pro censuris l. s. specialissime reservatis quam pro censuris f. s.; iam vero illae possunt absolvi ex c. 2254, ergo etiam istae. Sic clarus canonista l. c.

Sentential omnino placet; argumenta vero non plane firma videntur. Profecto, omnia ostendunt secundum ra-

---

25 *Epitome iuris canonici* III⁶ 454, l. 1°.

26 *Institutiones Iuris Canonici* II⁴ (Santander 1951) 891, 4°. Similiter *Ius sacramentarium*² (Santander 1949) 605.

tionem et quandam necessitatem moralem includendas esse etiam censuras ab homine inter illas quibus facultates confessariorum in casu urgenti extendantur; sed *quod de facto inclusae sunt* nulla fortasse ex considerationibus allatis *demonstrat*, nisi forte prima excipiatur et aliter clarius evolvatur [27]; omnibus enim opponi potest communis responsio: « talis facultas, summe optabilis, in canone non continetur », nisi argumentis independentibus ab optabilitate eius praesentia probetur, ut apprime opponit Mörsdorf similibus considerationibus F. Cappello, iam a nobis supra relatis [28]. Opinamur, igitur, has considerationes posse invocari in *confirmationem* verae *demonstrationis*, sed argumentum profundius ex exegesi canonis esse eruendum, ne, summa rei convenientia adducti, videamur constitui in legislatores, vim verborum privata auctoritate amplificando. Unde:

5. Exegesis c. 2254 § 1 ostendit censurae ab homine non excludi *ab illis a quibus potest confessarius absolvere in casibus urgentioribus, ideoque inter illas includendae sunt secundum mentem et affirmationem implicitam legislatoris.*

Haec est nostra propositio, quam *positive* demonstrare conabimur, et *negative* fulciemus, eam ab obiectionibus praecipuis, pro nostra facultate, expediendo.

Contra assertionem multorum, sive explicitam ut

---

27 Ea aliquantulum magis, etsi incomplete, evolvebatur a M. Mostaza, a quo tota auctoris expositio atque argumenta manifeste mutuata sunt, dum scripsit: « La tercera (causa para absolver de las censuras, o sea la paz de la conciencia) es común a todas las censuras, y *por eso tal vez cambia el giro de la frase* ». *Cuestiones canónicas de Sal Terrae* II (Santander 1928) 271.

28 Eine derartige Vollmacht mag wünschenswert sein, *allein das Gesetz gibt sie nicht* ». *Lehrbuch des Kirchenrechts* III⁶ pagina 376 nota 1.

apud CAPPELLO [29] et ROBERTI [30], sive implicitam in plerisque, quod ex c. 2254 excluduntur censurae ferendae sententiae per praeceptum peculiare vel per sententiam iudicialem inflictae, sustinemus in canone *contineri quaslibet censuras* sive a iure sive ab homine, a quibus vi istius canonis absolvere valent confessarii, quando aliqua ex tribus condicionibus occurrat: periculum scandali,, periculum infamiae, nimia molestia paenitentis permanendi in statu peccati per tempus necessarium ad recursum.

Et nostrum argumentum hoc est: in canone casus urgentior plene describitur factis duabus hypothesibus in quibus diversae vicissitudines censuratorum comprehendantur:

α) prima hypothesis, virtualiter duplex: *si censurae latae sententiae* exterius servari nequeunt sine periculo gravis scandali vel infamiae; ideoque, ex hac ratione non possunt absolvi censurae ab homine secundum mentem legislatoris, quia (saltem prout in hac quaestione eas intelligimus ab initio dissertationis) non sunt *latae* sed *ferendae* sententiae, et in hoc discrepamus a Cappello et Regatillo, qui validitatem absolutionis admittunt, quando huiusmodii censurae non sunt notoriae saltem notorietate facti; nam sive sint publicae vel occultae, notoriae vel non notoriae, non sunt latae sententiae, et legislator, in hypothesi nunc considerata, facultatem noluit impertiri nisi pro censuris latae sententiae, fortasse quia ratio boni *communis*, quae intercedere solet in infligen-

---

29 In *Tractatu canonico-morali de sacramentis* II⁴ (Turín 1944) 407, 4 sic ait: « Nonnulli... dicunt in casibus urgentioribus confessarium absolvere posse etiam a censuris *ferendae sententiae*. Haec opinio expressis et perspicuis verbis c. 2254 § 1 adversatur, qui loquitur de censuris *latae sententiae*, ideoque erronea omnino dicenda ».

30 « Codex, enim, *expresse* loquitur de censuris latae sententiae ». *De delictis et poenis* 317, II.

dis censuris ferendae sententiae, praevalere semper debet periculo scandali vel infamiae *particularis*;

β) altera hypothesis: *si paenitenti censurato,* qui nequit absolvi propter censuram, durum sit permanere in statu gravis peccati per tempus necessarium ad recursum; iam vero durum potest esse *propter quamcumque censuram,* sive a iure sit sive ab homine, nam hoc nihil refert ad illius angustiam, cui voluit legislator *universaliter* providere facultatibus specialibus istius canonis; ideoque non solas *latae,* sed etiam ferendae sententiae censuras inclusit in hac hypothesi.

Profecto, auctores ita intelligunt canonem quasi dixerit: « In casibus urgentioribus, si, nempe, censurae latae sententiae *aut* exterius servari nequeunt ... *aut* gravem angustitiam inferant censurato ... ». Sed hic sensus canonis non est, si constructionem grammaticalem bene consideremus. Nam repetitio particulae condicionalis *si,* intercedente disiunctione (*si* ... aut *si* ...), indicat duo membra plane definita ac distincta, quorum alterum potest circumscribi ad censuras l. s., alterum extendi ad censuras cuiuscumque indolis (*quoquo modo* reservatas, a iure scl. vel ab homine, a S. Sede vel a praelatis inferioribus, specialissimo vel simplici modo, etc.; nam « quoquo modo » haec omnia significat, et nostrum non est sensum expressionis coarctare), ut, post utriusque expositionem, communis conclusio possit ambobus applicari: « tunc [data prima vel altera hypothesi] quilibet confessarius ... ab eisdem ... [*casibus scl. urgentioribus*; non *censuris latae sententiae,* quae commemoratae sunt in sententia secundaria plane absoluta et ab his verbis omnino seiuncta per alteram sententiam secundariam] absolvere potest ».

Clare illustratur quod in secunda hypothesi explicante casus urgentiores legislator non circumscripserit considerationem ad censuras *latae sententiae,* sed egerit secundum totam latitudinem quam hypothesis facta habeat ex seipsa, si consideramus alios canones Codicis in

quibus constructio gramaticalis est ex una parte similis, et ex alia nullum dubium relinquit circa completam distinctionem casuum qui sub utraque particula condicionali *si* describuntur. Iuvat hos casus referre, et, quatenus opus sit, brevi commentario illustrare.

C. 317: « *Si impedita fuerit* iurisdictio Administratoris Apostolici aut *si idem Administrator defecerit,* Sedes Apostolica statim moneatur ». Duplex manifesto hypothesis plane distincta: quod iurisdictio impediatur, quod Administrator deficiat.

C. 569 § 2: « Ea cessio ac dispositio, *si praetermissa fuerit* ob defectum bonorum ... aut *si facta fuerit* et postea alia bona ... obvenerint, fiat aut iteretur ... ». Res est perspicua; de cessione ac dispositione novus actus praescribitur, si verificetur alterutra ex condicionibus ab invicem independentibus, quae separatim considerandae sunt.

C. 587 § 3: « *Si religio* aut provincia studiorum domos rite instructas *habere nequeat,* aut *si quas habet,* adire, Superiorum iudicio, difficile sit ... ». Iterum duplex hypothesis, altera quae versatur circa eventualem impossibilitatem habendi domos studiorum, altera quae praevidet casum difficilis accessus ad domos existentes; utrique autem, postquam ut plane ab invicem diversae enuntiantur, communis supponitur solutio: « religiosi alumni mittantur ad ... ».

C. 994 § 2: « *Si* loci Ordinarius ... promovendum *satis [non] noverit ... aut si promovendus* per tot dioeceses *vagatus sit* ... provideat Ordinarius ... ». Vacat repetere manifestas considerationes.

C. 1123: « *Si interpellationes ... omissae fuerint,* aut *si infidelis eisdem negative responderit* ... pars baptizata ius habet ... ». Nimirum, stante alterutra hypotesi, altera ab altera independenti, una eademque solutio offertur.

C. 1469 § 2: « *Si ecclesia collapsa fuerit* vel necessariis indigeat reparationibus, *aut si reditus defecerint* ...

ius patronatus interim quiescit ». Casus, quoad constructionem grammaticalem, simillimus nostro, in quo, sicut in praecedentibus, duae hypotheses fiunt ut communi solutione donentur; sed prima, sicut in c. 2254 § 1, habet geminatum obiectum per particulam *vel* distinctum.

C. 1743 § 3: « Pars ... *si illegitime respondere recusaverit,* aut *aut si ... mendax reperta fuerit,* puniatur ... » En decissio legislatoris communis pro duabus diversis transgressionibus.

C. 1830 § 2: « ... abstineat iudex ... *si de iure vel re* magni pretii *agatur* ... aut *si ius, res ... non sit proprium* personae ... ». Valent saepius dicta.

Confirmatur ex eo quod divisio bimembris c. 2254 § 1 est omnino logica et cohaerens cum normis aliorum canonum. *Prima hypothesis,* et facultas pro ea concessa, plane congruit cum norma c. 2232 § 1: si delinquens excusatur ante sententiam declaratoriam ab observanda poena latae sententiae quoties eam servare nequit sine infamia, haud est absonum tribuere confessario facultatem ut possit ab ea absolvere, ut facit c. 2254 § 1; et facile patet cur in casu facultas limitatur ad censuras *latae sententiae* quae nequeunt servari sine scandalo vel infamia, et non extenditur ad censuras ab homine quae sunt notoriae saltem notorietate iuris. Unde haec hypothesis *debuit* limitari ad censuras latae sententiae, idque oportuit expresse notare. Cf. etiam c. 2290, cui substat similis animus legislatoris.

Altera hypothesis, e contra, valet pro qualibet censura impediente absolutionem sacramentalem, sive a iure sit sive ab homine. Legislator vult occurrere anxietati conscientiae censuratorum, sine distinctione. Ergo, nisi aliquos expresse excludat, omnes comprehendit. Iam vero, nedum aliquem excluserit in altera hypothesi, omnes implicite comprehendit, dum eam non limitavit, sicut priorem, ad censuras latae sententiae. *Finis,* ergo, legis rationabiliter exigit ut censurae ab homine in altera hypo-

thesi comprehendantur; legislator *non restringit* amplitudinem propositionis; cur nos, contra rationem et sine auctoritate, restringeremus?

Argumento sic exposito, ultro admittimus aliquas ex considerationibus quas Cappello et, meliore rigore logico, F. Regatillo fecerunt, pro respectivis solutionibus sustentandis. Sane, si quies conscientiae, cui legislator vult consulere, in aliquibus casibus obtineri non potest nisi adhibita facultate absolvendi a censuris ab homine, si absolutio censurarum ab Ecclesia concedenda disponitur omnibus a contumacia cessantibus, si ipsa facultas absolvendi a censuris specialissime reservatis in similibus adiunctis non denegatur, *rationabile est omnino* ut Ecclesia concedat facultatem absolvendi a censuris ab homine in determinatis adiunctis. Et hoc probaverunt auctores modo citati.

Posita ista rationabilitate facultatis concedendae, ipsa concessionis existentia iure conicitur. Et examinato canone 2254 §1, tum in se tum in relatione cum aliis qui ratione contentus vel redactionis cum eo similitudinem habent, comperimus *concessionem revera in canone formaliter, etsi tantum implicite, contineri, et absolutionem censurarum ab homine vi c. 2254 § 1 dari posse.*

6. Restat ut difficultatibus *ab adversariis nostrae conclusionis propositis breviter satisfaciamus.*

a)*Expresse excluditur* in canone facultas absolvendi a censuris ferendae sententiae. Resp. In primo membro enumerationis casuum urgentiorum, conceditur; in altero, negatur. Contrarium potius est verum: in altero membro implicite quidem, sed expresse conceditur.

b) *Non specificantur* in c. 2254 censurae ab homine. Ergo non includuntur. Resp .ad hominem: Non specificantur pariter in secundo membro censurae a iure; ergo non includuntur! Id quod nemo admittere potest. Si-

militer non specificantur in c. 239 § 1, 1°; ergo non includuntur! Id quod iterum nemo admittit.

c) *In c. 2252 specificantur.* Ergo in c. 2254, si includerentur, specificari deberent. Resp. α) Quid accuratius fieri debuisset non disputamus; multa sunt in Codice, opere humano, quae melius redigi potuissent. Quaeritur quid revera sufficienter factum fuerit. β) Si paritas rationis urgenda sit, cur non similiter urgetur specificatio censurarum specialissime S. Sedi reservatarum, quae adest in c. 2252, abest in c. 2254? Ecquis inde concludit has censuras excludi a casibus urgentioribus? γ) In c. 2252 non potuerunt non specificari censurae specialissime reservatae et censurae ab homine, quia de utriusque aliquid in particulari determinandum erat in ordine ad ulteriores obligationees; dum in c. 2254 haec determinatio particularis nulla ratione exigebatur et inutilis evasisset, imo, obscuritatem generans. δ) Ex c. 2252, sicut ex c. 2247 § 3, potius argumentum *congruentiae* eruimus, ut censurae ab homine includantur in c. 2254; nam aequali difficultate et aequalibus condicionibus reguntur aliae et aliae in ordine ad absolutionem. Iam vero, in c. 2254 certo includuntur censurae l. s. specialissime reservatae [31]; ergo etiam censurae ab homine.

d) Superior infligens censuram ab homine *potest renuere ut absolvatur subditus* sic censuratus, imo absolutio non daretur sine contemptu auctoritatis infligentis censuram. Resp. Ubi S. Sedes aliquid disponit, nemo est rationibiliter invitus in proposito contrario, praesertim cum aliunde paratus esse debeat ad impertiendam

---

[31] Abstrahimus in hoc asserto a quaestione ulteriori, inter canonistas disputata, utrum in hoc canone concedatur facultas absolvendi etiam a censuris statutis ob revelationem secreti Sti. Officii et in Const. *Vacantis Sedis Apostolicae,* ipsi S. Pontifici reservatis; et excipimus, ut liquidum est, censuram c. 2388 § 1, ad normam Instructionem S. Paenitentiariae (AAS 28 (1936) 242-243; 29 (1937) 283-284) unice absolvendam.

absolutionem censurato a contumacia recedenti (c. 2248); accedit quod auctoritatem suam non ideo amittit, sed pergit eam exercere in foro externo, non aliter atque accidit in censuris l. s. publicis vel notoriis; et in foro interno recursus ad eum vel ad eius Superiorem necessario est instituendus.

e) *In c. 2253 salvatur normae* c. 2254 pro absolutione censurarum a iure ,in n. 3°; non autem pro censuris ab homine, de quibus in n. 2°. Resp. Fatemur punctuationem et totam dispositionem suadere verba illa postrema « salvo praescripto can. 2254 » afficere solam tertiam paragraphum citati canonis. Ideo nolumus extorquere redactionem, ut ea referamus etiam ad n. 2um. Non renuimus probabilitatem lapsus vel potius omissionis in redactore canonis. Nihilominus in n. 2° censura expresse reservatur ad normam c. 2245 § 2; et in hoc canone reservatio fit ei qui censuram tulit eiusve Superiori, vel successori aut *delegato;* delegatus intelligendus est ab alterutro, sive a superiore reservantis sive a reservante; porro, superior in c. 2254 delegat confessarios; ergo in c. 2253, 2° non debuit salvari can. 2254. Ideoque, etiamsi redactor propter distractionem omiserit mentionem istius canonis, nihil illogicum aut incompletum dictum est.

f) « In censuris ab homine: α) non est timendum scandalum ..., β) nec multum iuvat paenitenti absolutio in foro interno ... » [32]. Resp. α) Absolute et in omni casu non est verum non timendum esse scandalum; tamen, certtum nobis videtur ex verbis legis, propter scandalum vitandum non posse applicari casum urgentem ad censuras ab homine. Sed nihil refert; omnibus consentientibus sufficit alterutra ex causis in canone allegatis, et quies conscientiae obtinenda semper habere potest applicationem

---

32 Mirum est quod plures asserant absolutionem in foro interno *parum iuvare* paenitentibus. Ceterum haec consideratio perinde valeret pro absolutione a censuris latae sententiae publicis vel notoriis.

in censuris ab homine. β) Nonne tam aestimabilis est pax interna cum Deo assecurata per absolutionem sacramentalem, et redintegratio ad participanda beneficia spiritualia quae Ecclesia habet pro omnibus in communicatione cum ea viventibus, quam reconciliatio externa cum societate ecclesiastica?

MARCELLINUS ZALBA S. I.

DE LECTIONIBUS SACRORUM ALUMNIS PROHIBITIS

Prior quaestio: Sanctae recordationis. Btus. PIUS X, desiderio fretus Modernistarum insidias debellandi in acie utriusque Cleri potissimum serpentes, Motu proprio « *Sacrorum Antistitum* » dato 1 septembris 1910, plura tradidit aurea documenta de Clericorum animis rite effingendis. Porro inter dispositiones disciplinares, duplex legitur norma praeceptiva quarum prior spectat ad alumnos e Seminario dimissos ob virtutum requisitarum defectum, qui quidem sic sunt expellendi « ut neque a se neque ab ullo Episcopo sint in posterum recipiendi » (AAS. 1910, p. 667 vel Fontes C. I. C. III, p. 781). Altera vero norma se refert ad Ephemeridum lectionem, quae sic sonat: « ne iuvenes aliis quaestionibus consectandis tempus terant ... omnino vetamus diaria quaevis aut commentaria quantumvis optima ab iisdem legi, onerata Moderatorum conscientia qui, ne id accidat, religiose non caverint » (AAS. 1910, p. 668 vel Fontes C. I. C. III, p. 782).

Hanc proibitionem S. C. Consistorialis, die 25° eiusdem mensis et anni, extendit ad iuvenes regulares « in Monasteriis et in Congregationibus studiis operam dantes » (AAS. 1910, p. 740 vel Fontes C. I. C. V, p. 45).

Iam vero, neminem latet prius praeceptum, ad normam can. 22, obrogatum esse praescripto can. 1363, § 3 vi cuius « dimissi ex aliis Seminariis vel ex aliqua Religione ne admittantur nisi prius Episcopus etiam secrete a Superioribus aliisve requisierit de causa dimissionis » ...

Verum est hanc Codicis disciplinam severiorem effectam esse conventione mutua *SS. CC. de Religiosis* et de *Seminariis* qua, e Seminario eggressi sive quia illud de-

seruerunt sive quia dimissi sunt nequeunt admitti in religionem nisi prius Superior Religiosus ad S. C. de Religiosis recurrerit; vicissim qui novis modo ad Religionem pertinuerunt, ut in Seminarium admittantur, Ordinarius ad S. C. de Seminariis recurrere tenetur; haec tamen dispositio, non parum differt a iure superiore, tum *extensione,* quippe quae non amplectitur alumnos e Seminario dimissos qui velint aliud Seminarium ingredi, tum *gravitate* nam dimissis non absolute claudit Seminarii vel Instituti Religiosi ianuam, sed iudicium definitivum committit prudenti alterutrius Dycasterii consilio, quod, post opportunas de re investigationes, sententiam suam Superiori competenti patefaciet [1].

Quod ad alteram normam attinet, merito quaestio movetur *an stare pergat in hodierna Codicis disciplina.*

Opinamur hanc legem iuris superioris nec explicite nec implicite in Codice contineri, ideoque, ad normam can. 6, n. 6, vim omnem amisisse. Ita quoque sentiunt graves Canonistae: BRY-DE MEESTER (*Iuris Canonici* Compendium, Brugis, 1949, II, 801); CAPPELLO, (*Summa Iuris Canonici,* Romae, 1945, II, 528); VAN HOVE (*De Legibus,* Mechliniae, 1930, 65) aliique plures qui saltem nobis praebent principia iuris generalia ex quibus facili et obvia conclusione eruitur talis praescripti abrogatio.

Noli tamen obiicere *S. C. S. Officii,* 22 martii 1918 declarasse adhuc servanda esse ea quae injunguntur *Motu Proprio*: « *Sacrorum Antistitum* » circa iuramentum antimodernisticum (AAS. 1918, p. 136), etenim in praefato documento, praeter dispositiones de iureiurando contra Modernismum, plura alia referuntur quae a *S. Officio* ibidem non commemorantur, ac proinde abrogata censentur nisi explicite vel implicite in Codice contineantur. Insuper paragraphus hanc prohibitionem amplectens, nihil conti-

---

[1] AAS. 1941, p. 371. Integra huius rei iurisprudentia apprime perstringitur *Annotationibus* nuper editis a FRANCISCO XAV. HETCH, S.A.C. in *Periodicis,* 1952, p. 366 sq.

net immediate spectans ad periculum Modernismi removendum. Quamobrem, Druzbacki, in Ephemeridibus *Ius Pontificium,* 1927, p. 26-29, alia via contendit sententiae oppositae aliquam tribuere probabilitatem. « Leges enim generales - ait - quae de se perpetuae non sunt, sed pro specialibus condicionibus dantur, vim suam servant, quousque a competenti auctoritate revocatae non fuerint ». Quod quidem assertum fulcire conatur duobus decretis tum *S. Officii* circa permanentiam Consilii a vigilantia et iuramenti antimodernistici (AAS. 1918, p. 136) tum S. C. de Religiosis circa Religiosos servitio militari adscriptos (AAS. 1919, p. 319). Profecto, utrumque decretum declarat tales praescriptiones, ob naturam suam, temporarias, in Codicem Iuris Canonici non potuisse referri, sed cum causae ob quas datae fuerint, adhuc perseverent, in suo vigore servandas esse.

Non desunt auctores qui hoc fundamentum amplecti non verentur. Sufficiat commemorare cl. Grentrup (*Ius Missionarium,* p. 49-53) qui frustra contendit ostendere ideo Ius Missionum proprium praeter Codicem in suo robore perstare quia est temporarium et transitorium. Sane, Ius Missionarium de quo silet Codex perseverat non quidem quia est transitorium, sed quia est particulare praeter Codicem. Merito ergo plerique Iurisperiti tale fundamentum reiicere non cunctantur, inter quos eminent Vermeersch (*Epitome I. C. I.,* 78); Van Hove (*De Legibus,* 68).

« Verum, e positivis istis Decretis (S. Officii et S. C. de Religiosis de quibus supra) — ait cl. Vermeersch — huiusmodi regula generalis colligi nequit. Praevalet enim generalis norma qua, sine exceptione abrogantur omnes leges generales disciplinares quae nullatenus in Codice continentur; praevalet ratio e fine Codicis deprompta. Estne lex temporaria? perseverantne adiuncta propter quae lata est? Haec puncta facillime in controversiam venient. Tunc actum esset de Codice completo quo ius vigens com-

mode cognosci possit ac paulatim rediret multitudo Decretorum et Instructionum a qua *S. Pontifex* forum canonicum liberare voluit »

Collapso fundamento, Druzbacki suam sententiam duplici ratione confirmare conatur:

1) In Relatione triennali de Statu Seminariorum huic quaestioni respondendum est: « An alumni prohibentur a lectione librorum et diariorum quae, quamvis in se non noxia, eos tamen a studiis distrahere possunt » (AAS. 1924, p. 547). Haec quidem ratio non multum confert ad sententiam oppositam roborandam siquidem interrogatio, natura sua, nihil aperit nisi optatum S. Congregationis cognoscendi statum cuiusque Seminarii disciplinarem et litterarium; ad summum, ex ratione proponendi quaestionem, colligi posset quaenam sit hac de re mens Dycasterii Romani. E contra *S. C. de Religiosis* aperte suam voluntatem iniunxit *Instructione* de formatione clericali et religiosa alumnorum deque scrutinio peragendo: « Quo quidem tempore cavebunt Superiores ne iuvenes a virtutum certamine animos remittant, *illos ab illorum librorum aut ephemeridum lectione, quibus a bonis studiis praepediri utcumque possent, arcentes* » (AAS. 1932, p. 76). At talis norma longe mitior videtur lege tradita a Bto Pio X, de qua nunc fit sermo.

2) Talis prohibitionis finis nondum cessavit, ideoque, stante fine, manet lex. Re quidem vera, a non paucis Collegiis ecclesiasticis non abest Modernismi periculum; aliis vero imminent alia gravia incommoda sive ex parte Materialismi, sive ex aestu partium politicarum quae externis controversiis et agitationibus, animorum pacem facile turbare possunt eosque removere ab illa « perfecta et numeris absoluta » institutione clericali, nisi Sacrorum alumni caute abstineant a legendis foliis quae tales res expendunt. Concedimus ergo fere ubique adhuc perseverare finem legis, sed inde non licet inferre veterem legem suam vim conservare; enim esset interpretatio extensiva can. 6,

n. 6, qui, ut asserat permanentiam legis iuris superioris de quibus tacet Codex, praescindit a criterio utilitatis, convenientiae aut necessitatis, sed unicam tradit normam, nimirum, explicitam vel implicitam insertionem in ipso Codice.

Summus Pontifex, pro hodiernis rerum adiunctis, aliam prorsus viam ostendere videtur qua Sacrorum alumni attingere valeant conscientiam illam « quid ex actibus suis in se recidat periculi, quid ipsi de hominibus ac de eventibus iudicium ferant, quid denique ipsi operis ultro sponteque suscipiant ». Nihil dubii quod, sub hoc aspectu salutari, non paucis in rebus amplior requiratur libertas, non exclusa ampliore libertate in lectione ephemeridum. Audiatur ipse *Vicarius Christi*:

> « Neque extimescant Moderatores ne concrediti sibi iuvenes hodiernos cognoscant eventus; quin etiam praeterquam quod illis rerum notitiam aperient ex quibus maturum de factis iudicium iidem sibi faciant, controversias etiam de quaestionibus id genus ne declinent, ut iuvenum mentes ad aequam rerum rationumque aestimationem informent » (Ex Adhortatione Apost. ad Clerum: « *Menti Nostrae* » AAS. 1950, p. 686).

Profecto, praefatae dispositiones summopere opportunae applicandae committuntur prudenti Moderatorum iudicio quorum erit utrumque vitare extremum ne fugientes Caribdim, cadant in Scyllam. Quare immerito hodie in ecclesiasticis collegiis prohiberetur ephemeridum lectio ob gravem legem desumptam ex Motu proprio Bti. Pii X, sed adiuncta cuiusque gentis alliciant opportet Superiores ut hac de re congrua ferant praecepta vi quorum Sacrorum candidati prohibeantur a perlustrandis commentariis quibus « a bonis studiis praepediri utcumque possent ». Tales enim praescriptiones intra debitum prudentiae ambitum contentae non poterunt quin multum conferant ad disciplinam tuendam, pacem et quietem fovendam, mutuam alumnorum caritatem servandam, rectam cuiusque alumni indolis conformationem evolvendam nec-

non ad esplicandam illam hodie adeo optabilem conscientiam responsabilitatis una cum sensu privatae navitatis quae vulgo audit « *iniziativa* ».

Altera quaestio: Omnibus innotescit praescriptum can. 1400 vi cuius usus nonnullorum librorum S. Scripturae ipso iure prohibitorum, eis permittitur « qui studiis theologicis vel biblicis quovis mode operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata ». Circa hunc canonem sequens proponitur quaestio solvenda: Licetne Sacrorum Candidatis « qui studiis theologicis vel biblicis » vacant, legere ac servare, absque venia Superioris competentis, versiones Sacrarum Litterarum a sectis protestanticis editas, ubique difussas *quibus desunt omnes solique libri ac versus deuterocanonici*?

Iuvat summariam praemittere canonis declarationem:

Legis exemptio afficit: *a*) omnes editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum S. Scripturae *ab acatholicis* vulgatas; *b*) eiusdem S. Scripturae versiones in linguas vernaculas *a catholicis* editas sine previa approbatione ecclesiastica et debitis annotationibus; *c*) S. Litterarum versiones in quamvis linguam *ab acatholicis* confectas et editas.

Legis favore fruuntur « qui studiis theologicis vel biblicis dant operam » ideoque tum Professores tum alumni, tum Clerici tum laici qui speciali ratione excolunt studia theologica vel biblica; qua in re non sufficit ut quis, per transennam, v. gr. parando concionis gratia, teneatur tractatus theologicos vel scripturisticos evolvere, ut possit iuris exemptione gaudere. At scite animadvertit Vermeersch: « Quae facultas ad omnes fere Sacerdotes videtur extendi posse, si praescriptis et commendationibus iuris morem gerentes, quae in theologicis studiis didicerint privato studio et lectionibus colere pergunt » (Epitome I. C., II, p. 735).

Bis *S. C. Indicis,* anno 1898, annuit hunc iuris favorem extendi posse « ad universos S. Theologiae tyronnes » sed inter alumnos studiis biblicis vacantes non agnovit eos qui studio linguae hebraicae vel graecae dant operam. Quaerebatur enim: « Utrum Episcopus possit permittere ut in scholis alumni sub ductu Professoris textus hebraicos et graecos ab acatholicis editos legant ac vertant, dummodo non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus talium librorum catholicae fidei dogmata ».

Eadem vero S. Congregatio, die 18 iunii 1898, huic dubio mature perpenso, sic respondendum censuit: « *Negative,* nisi specialem a S. Sede facultatem obtinuerit » (*Acta S. S.* vol. XXX, p. 749). Quod tamen responsum non attingit eos alumnos scholae hebraicae vel graecae *qui simul* studiis theologicis vel biblicis dant operam. (Cf. WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum,* IV, vol. II, 727 (91) vel VERMEERSCH, *De prohibitione et Censura librorum,* Romae, 1906, n. 69).

Permissio quidem tales libros legendi non absolute conceditur, sed sub triplici condicione copulativa sumpta ita ut si una tantum condicio desit, lectio fiat prohibita. Requiritur enim ut *a*) iidem libri *fideliter* editi sint seu textus ipse vel versio quoad sententiarum sensum concordet cum textu originali; *b*) *integre* editi sint, nempe, textus de quo fit sermo, quoad omnium partium relationem cohereat cum textu originali; *c*) neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, seu errores haereticales rationibus non muniantur.

Iam vero, quoniam tales versiones S. Litterarum nullis plerumque illustrantur prolegomenis aut adnotationibus, fidei catholicae dogmata illaesa servantur, ideoque, ex hoc capite nihil obstat quominus a theologis adhibeantur; nec inde venit difficultas quod desit *fidelitas,* nam tales versiones S. Scripturae apprime aptantur textui originali hebraico nec recedunt a *Vulgata Latina* nini in par-

tibus quae in Ecclesia aliter legi consueverunt, uti, v. gr. in commate ioanneo (I Ioan. V, 7. Cf. DENZINGER, *Enchyridion Symbolorum*, 2198); sed iure quaestio movetur circa ipsam textus translati *integritatem* hodierno iure requisitam. Re vera, si integritas referenda est *ad Canonem Tridentinum* cum omnibus libris ibidem recensitis « cumque omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt et in veteri Vulgata latina editione habentur » (DENZINGER, 784), tales versiones, *ob defectum legitimae integritatis,* nequeunt adhiberi a cultoribus S. Theologiae vel S. Scripturae; contra vero, si integritas referenda est ad *textum originalem hebraicum,* unde versio immediate procedit. Uti opinamur, hic latet grave dubium iuris quod exspectat solutionem authenticam; interea iuvat pro utraque interpretatione rationes hinc inde allatas summatim referre.

Sane error praecipuus iacet in titulo libri: « *La Bibbia* » seu uti referunt versiones sinicae: « *Veteris et novi foederis libri completi* ». Promittitur nobis textus integer *S. Litterarum* cum absint omnes libri deuterocanonici perinde ac si non essent inspirati nec pertinerent ad canonem librorum sacrorum; ibi enim desunt plures libri sacri, immo a pluribus libris exulant nonnullae partes: in Prophetia *Baruch* non inseritur Epistola *Ieremiae*; in libro *Daniel* omittuntur Oratio *Azariae* et Canticum Trium Puerorum, Historia *Susannae,* triplex victoria *Daniel*; libro *Esther* desunt plura capita; quapropter tales versiones *S. Scripturae* orbantur integritate requisita, nam Ecclesia nequit admittere aliam librorum sacrorum integritatem nisi quam Ipsa sancivit sollemni suo iudicio.

Huc accedit quod textus Codicis severitate praestat Constitutioni Leoninae: « *Officiorum ac munerum* » uti colligere licet ex utriusque documenti collatione:

LEO XIII hac de re statuit:

« Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi *fideliter et integre* editae appareant, iis duntaxat qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur » (Fontes C.I.C. III, p. 506).

In hodierna ergo Codicis disciplina, Ecclesia hac in re severiorem se praebet siquidem novas iniungit condiciones: textus, nempe, fidelitatem et integritatem ut casus exceptus habeatur. Porro, verba illa « fideliter et integre » in Constitutione unde mutuata sunt, ad mentem praeclari eiusdem Commentatoris, IOSEPH PENNACCHI, refeferuntur ad latinas Sacrorum Bibliorum versiones a Protestantibus apparatu critico editas quae librorum partiumque integritatem *Vulgatae Latinae* amplectebantur; quibus recensitis, sic concludit cl. interpres: « Itaque quamvis hae versiones fideliter et integre editae fuerint, tamen nonnisi eis qui studiis biblicis vel theologicis dant operam, permittuntur ». Ergo, ad mentem PENNACCHI, integritas hac in re intelligenda est iuxta Canonem Concilii Tridentini. Quae quidem conclusio luculentius effulget e paragrapho sequenti:

« E contra si versiones huiusmodi a viris plane catholicis primum editae a societate aliqua protestantica, *quamvis fideliter et integre*, iterum edantur, paragraphi dispositioni subiacent ... » (In Constitutionem Apostolicam *Officiorum ac munerum* ... brevis commentatio, Romae, 1898, p. 61-63).

Inter notiores Codicis interpretes huic sententiae haerere videntur ALBERTUS BLAT (Commentarius textus C. I. C., liber III, partes II-VI, Romae, 1934, p. 415) et BRYS-DE MEESTER (I. C. Compedium, II, Brugis, 1949, 832) quibus integritas intelligitur « quoad omnes partes etiam parvas quas referunt ».

Non desunt tamen rationes quibus altera integritas fit probabilior.

1[a]) Textus can. 1400, 1399, 1391, fere ad litteram ex Constitutione « Officiorum ac munerum » depromptus est. Iam vero, ipsae LEO XIII in prolegomenis praefatae Constitutionis, suam aperit intentionem: « (Praedecessorum meorum) regulas decrevimus, incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare ... grave arduumque esse non possit » (Fontes C. I. C. III, p. 505). Quapropter, si can. 1400, ad normam can. 6, n. 2-3, ex iure veteri aestimetur, in dubio, sensu potius mitiore quam riguroso interpretandus esse videtur.

2[a]) Dein, finis legis de prohibitione talium librorum, sufficienter obtineri videtur, si « ii qui studiis theologicis vel biblicis operam dant » noverint integritatem referri ad textum hebraicum unde versio immediate procedit. Omnes enim Theologiae vel S. Scripturae cultores a limine addiscunt tum existere divisionem inter libros proto-canonicos et deutero-canonicos, tum omnes fere protestantes nonnisi proto-canonicos uti vere inspiratos agnoscere, ideoque omnes fere Biblias a Protestantibus editas excludere libros deutero-canonicos: nullum periculm inde imminet fidei Clericorum.

3[a]) Legislator hanc rerum condicionem sibi perspectam habebat, ideoque si Theologiae vel S. Scripturae cultoribus favorem aliquem tribuere intendebat, ad normam can. 68, non poterat quin eisdem facultatem tribueret legendi S. Litteras editas absque libris deutero-canonicis, nam nulla fere editio *Bibliae* protestantica tales libros amplectitur.

4[a]) Praxis ubique vigens, non exclusis Institutis Romanis Pontificiis, idem confirmare videtur, nam ibidem Theologiae vel S. Scripturae cultores crebra versant manu versiones protestanticas S. Litterarum, uti videtur, absque speciali facultate S. Sedis.

Unum novimus hanc sententiam aperte amplecti cl. REGATILLO (*Institutiones I. C.* II, Santander, 1951,

265 vel *Sal terrae*, 1952, junio, p. 431), alii silentio praetereunt quaestionem tanti momenti practici.

Conclusio: Re quidem vera, si haec iuris exemptio intelligenda esset secundum propriam verborum significationem, potius admittenda videretur prior interpretatio qua integritas refertur ad Canonem Tridentinum; sed quoniam verborum significatio, ex rationibus allatis, dubia et obscura manet, recurrere praestat ad finem legis et mentem legislatoris (can. 18); iam vero, nisi velimus ipsam legem frustrare vel legislatorem arguere inchoaerentiae vel inelegantiae iuridicae, amplectamur opportet alteram explicationem. In praxi talem, cum detur dubium iuris, lex non urget (can. 15), ideoque practice, donec auctoritas competens rem authentice non dirimat, huic alteri sententiae tuta conscientia stare nobis licet.

IOANNES A. EGUREN S. I.

DE EFFICACI CAUSA DAMNI INJUSTI

BIBLIOGRAPHIA. 1°: AERTNYS-DAMEN C.SS.R., *Theologia moralis,* ed. 13, t. 1, nn. 733-736, Romae, 1939; S. ALPHONSUS M. DE LIGORIO, *Theologia moralis,* ed. Gaudé, lib. 3, nn. 584, 633-636, Romae, 1907; JOSEPHUS D'ANNIBALE, *Summa theologiae moralis,* ed. 3, p. 1, nn. 156 nota 6-8, 158 nota 15, p. 2, nn. 200 nota 24, 201 nota 32, Romae, 1888, 1891; BALLERINI-PALMIERI S. I., *Opus theologicum morale* ed. 3, v. 3, nn. 338-342, Prati, 1899; A. CHOLLET, *Cause,* in D. T. C. t, coll. 2014-2038; GENICOT-SALSMANS-GORTEBECKE S. I., *Institutiones theologiae moralis,* ed. 13, v. 1, nn. 516, 517-1°, 563-3°, Bruxellis, 1951; IOANNES P. GURY S.I., *Compendium theologiae moralis,* ed. 12, t. 1, nn. 604, 669, 671, Prati, 1894; THOMAS A. JORIO S. I., *Theologia moralis,* ed. 3, v. 2, n. 642-2°, Neapoli, 1947; CLAUDIUS LACROIX S. I., *Theologia moralis,* l. 3, p. 2, nn. 69, 148, 155-158, 169, 310, Venetiis, 1725; AUGUSTINUS LEHMKUHL S. I., *Theologia moralis,* ed. 8, v. 1, nn. 979-980, Friburgi Brisgoviae, 1906; LEONARDUS LESSIUS S. I., *De justitia et jure ...,* l. 2, c. 9, nn. 113, 151-154, c. 12, n. 129, Venetiis, 1608; SERAPHINUS LOJANO O. M. CAP., *Institutiones theologiae moralis,* v. 3, nn. 135-136, Taurini, 1937; IOANNES DE LUGO S. I., *Disputationes scholasticae et morales,* ed. Vivès, t. 5-6, disp. VIII, nn. 71-84, XI, 79-85, XVIII, 98-116, XXI, 29, Parisiis, 1868-1869; MARC-GESTERMANN-RAUS C.SS.R., *Institutiones morales alphonsianae,* ed. 19, t. 1, nn. 727, 949, Lugduni-Parisiis, 1933; BENEDICTUS H. MERKELBACH O. P., *Summa theologiae moralis,* ed. 3, t. 2, nn. 291-292, Parisiis, 1938; LUDOVICUS MOLINA S. I., *De justitia et jure,* tr. 2, tomo 3, disp. 697, n. 18, disp. 728, n. 2, disp. 755, n. 1, tr. 3, tomo 4, disp. 84, n. 6, disp. 86, n. 4, Coloniae Agripinae, 1614; NOLDIN-SCHMITT S. I., *Summa theologiae moralis,* ed. 17, *De praeceptis,* nn. 456-457, Oeniponte-Lipsiae, 1941; PISCETTA-GENNARO S. S., *Elementa theologiae moralis,* ed. 4, v. 3, nn. 332-335, Torino, 1938; DOMINICUS M. PRUEMMER O. P., *Manuale theologiae moralis,* ed. 9, t. 2, n. 95, Romae, 1940; FERDINANDUS REBELLUS S. I., *Opus de obligationibus justitiae ...,* l. 2, q. 10, n. 19, Lugduni, 1508; SAIMANTICENSES, *Cursus theologiae moralis,* tom. 3, tr. 13, c. 1, nn. 13-15, 21, 23, 103, c. 2, nn. 108-111, Lugduni, 1678; THOMAS SANCHEZ S. I., *Consilia seu opuscula moralia,* t. 1, lib. 1, c. 3, disp. 2, nn. 4, 6, 14, 19, 22, disp. 3, n. 11,

disp. 5, nn. 5, 7,9, disp. 5, nn. 71-72, lib. 2, c. 1, disp. 49, nn. 6, 9, 10, 27, Parmae, 1723; DOMINICUS SOTO O. P., *De justitia et jure libri decem*, l. 4, q. 6, a. 3, pp. 342-346, a. 5, pp. 364-366, q. 7, a. 3, pp. 383-388, Venetiis, 1608; THOMAS TAMBURINI S. I., *Expeditae decalogi explicationes*, l. 6, c. 4, § 2, nn. 1-3, § 3, nn. 12-13, § 5, n. 5, lib. 8, p. 3; c. 4, § 2, nn. 3-4, Venetiis, 1654; ADAMUS TANQUEREY, *Synopsis theologiae moralis et pastoralis*, ed. 10, t. 3, nn. 254, 437-441; S. THOMAS AQUINAS, *Summa theologica*, I-II, q. 73, a. 8, II-II, q. 62, a. 2, ad 4, et art. 4; GABRIEL VAZQUEZ S. I., *Opuscula moralia*: *De restitutione*, c. 2, § 2, nn. 15, 21-23, 31, pp. 47-50, *De beneficiis*, c. 2, § 3, nn. 126-129, 137, pp. 403-405, Lugduni, 1631; ARTHURUS VERMEERSCH S. I., *Theologiae moralis ...*, ed. 3, T. 2, n. 542, Romae, 1937; JOSEPHUS VOGLER S. I., *Juris-cultur theologus ...* in Migne: *Theologiae cursus completus*, t. 15, coll. 1007-1264, nn. 168-179, 183-185, 399-413, coll. 1084-1093, 1191-1196.

2º: CAROLUS DELMAS S. I., *Ontologia*, nn. 433-545, Parisiis, 1896; D. MERCIER, *Metafisica generale*, nn. 207-249, Roma, s. a.; NICOLAUS MONACO S. I., *Praelectiones metaphysicae generalis*, nn. 237-265, 271-280, Prati, 1913; PESCH-FRICK S. I., *Institutiones logicae et ontologicae*, ed. 2, P. 2, nn. 565-622, Friburgi Brisgoviae, 1909; FRANCISCUS SUAREZ S. I., *Opera omnia*, ed. Vivès, t. 25: *Disputationes metaphysicae*, disp. 12, sect. 2 et 3, pp. 384-395, disp. 17, pp. 580-592, disp. 23, sect. 1 et 2, pp. 843-851, Parisiis, 1861; IOANNES JOS. URRABURU S. I., *Institutiones philosophicae*, v. 2: *Ontologia*, disp. 7, nn. 379-435, pp. 1077-1214, Valissoleti, 1891; S. THOMAS AQUINAS, *In metaphysicam aristotelis commentaria*, cura ac studio, P. FR. M. R. CATHALA O. P., ed. 3, lib. 1, lect. 4, nn. 70-71, lib. 5, lect. 1, nn. 749-751, lect. 2, nn. 763-776, lect. 3, nn. 777-786, *787-789*, lect. 6, n. 827, lib. 6, lect. 2, nn. 1182-1186, lect. 3, nn. 1201-1206, 1217-1222, lib. 11, lect. 5, n. 2272.

I. PER MODUM INTRODUCTIONIS.

1) Ad restitutionis obligationem ob injustam damnificationem imponendam generatim tres conditiones enumerari solent, nempe quod actio damnificans sit vere (stricte), efficaciter et formaliter injusta.

De tertia conditione veteres fuse tractarunt et solutionem practicam tandem dederunt: obligationem resti-

tutionis sub gravi imponendam non esse, nisi damnificatio cum gravi theologica culpa perpetrata sit.

Primae conditionis elementa sic breviter complectitur Merkelbach[1]: « Actio damnificativa debet esse vere injusta, i. e. violare jus strictum alterius ac proinde laedere justitiam commutativam ... Est autem injusta:

1° si auferat vel destruat rem in qua alter habet *jus in re*;

2° si quovis modo impediat ne res ab altero habeatur ad quam alter habet *jus ad rem*;

3° si *medio injusto* alterum impediat ab aliquo bono juste consequando ad quod jus strictum non habet, quia unicuique jus strictum est ne injusto medio a bono consequendo impediatur. In hoc casu, non tam ipsum bonum, nisi certo obtineretur, damnificator resarcire debet, sed potius spem illud consequendi quam alteri injuriose eripuit »;

Secunda tandem conditio, quae et punctum centrale problematis constituere videtur, est praecise quaestio de efficacia actionis damnificativae.

2) Notio efficaciae actionis liberae non est solum cardo totius quaestionis de actione damnificativa, sed plures alias applicationes in theologia morali accipit: sic ubi de cooperatione ad peccatum alterius vel ad injuriam, sic ubi de quinto praecepto, sic tandem ubi de principio duplicis effectus.

Intentio nostra est non aliquam definitivam solutionem hujus intricatissimae quaestionis proponere, quae omnes difficultates in applicandis principiis eliminare possit, sed conari saltem elementa hic inde sparsa apud theologos et philosophos colligere et in brevem quandam synthesim redigere; si quid autem minus rectum irrepserit

---

[1] *op. cit.*, v. II, n. 291. Litteras « cursivas » generatim non ipsi in textu ponimus.

libentissime omnes observationes, quae lucem quandam afferre possunt, accipiemus.

II. Doctrina recentiorum.

1) Percurrendo recentiora manualia theologiae moralis, in quibus semper explicita et particularis, licet aliquando brevissima, expositio de efficacia actionis damnificantis invenitur, miram quandam varietatem observamus, quae tamen saltem unitate gaudet, quod notiones et principia solutionis generatim paucis expediuntur, ampliorem locum exemplis concretis reservando.

Sed nihil mirum, quod ubi notiones et principia non sufficienter exponantur, etiam solutiones quam maxime differant: sive quod auctor hanc vel illam solutionem a veteribus datam, ut sibi magis arridentem amplectatur, sive quod quasi ex quodam infallibili principio benigniorem semper solutionem amplectatur, nihil curans veteres, etiam benigniores, in decursu tractationis plures limitationes apponere, quae a rei complexitate pro ponderata solutione requiruntur, ne cuiquam (ne ipsi damnificato) injuria fiat.

2) Et primo quidem ponunt auctores requiri ut damnificatio injusta *de facto* sequatur, nec sufficere solam intentionem vel causae positionem ad obligationem restitutionis imponendam.

Requiritur ergo, ut quis vere auctor damni dici possit, ut physice vel moraliter, per se vel per alium vera fiat causa efficiens damni totalis vel saltem partialis [2].

Addunt autem communiter, non sufficere occasionem, conditionem etiam sine qua non, vel causam per accidens [3].

---

2 Tanquerey, Merkelbach, Pruemmer, Noldin, Marc, Aertnys etc. locis citatis in Bibliographia.

3 Merkelbach, Noldin, Jorio, Génicot, Lojano, Pruemmer, Marc et Tanquerey, qui tamen scribit: « Ut causa efficax haberi

Explicare tamen parum solent, quid his nominibus intelligant, sed potius per exempla rem explicare conantur.

3) Quaeramus ergo: quando homo auctor alicuius damni injusti, seu causa efficax dici debeat et non tantum occasio, conditio, causa per accidens?

Responsionem in praxi saepe difficilem esse sincere fatentur quidam [4].

Conemur tamen elementa dispersa apud varios auctores in exemplis et explicationibus in unum colligere.

4) Actionem causam efficacem esse dicunt:

a) quae « in damnum *ex natura sua* et *vi propria* influat, et ex qua *de se necessario* sequatur » [5].

b) « quae *ex natura sua* vel *ex circumstantiis* cum damno connexionem habeat saltem *probabilem* » [6].

c) « quae *natura sua* ad illum producendum *ordinata est* », secus dici debet tantum causa per accidens, quae ex eo *cognoscitur* « quod effectum *solum concurrentibus externis adjunctis* producit » et ex qua « damnum quidem sequi potest, at ... *probabile non est*, et proinde secuturum *non praevidetur* » [7].

d) « cum in damnum reapse et *directe* influit ... seu cum habeatur *verus immediatus et necessarius nexus* inter causam et damnum » [8].

e) quando causa cum effectu *naturalem* connexionem habet, vel quae etiam *ex circumstantiis* de se moraliter habitura est *proximum* influxum, vel ubi circumstan-

---

debet actio quae est solum *causa per accidens*; sed quia damnum *praevideri nequit probabiliter secuturum*, tunc actio agentis moralem connexionem non habet cum effectu malo, cum deficiat tertia conditio, seu culpa theologica » (III, 440).

[4] ex. gr. Genicot I, 516; I, 979.

[5] Merkelbach II, 292.

[6] Jorio II, 642, qui minus recte addit « vera et efficax physice et moraliter ».

[7] Noldin II, 456.

[8] Lojano III, 136.

tiae tales sint, ut quis auctor damni *prudenter haberi debuerit* »[9]

f) quando « *vere probabile,* quod secuturum damnum sit », secus si « effectus probabiliter non connectatur cum causa » sed habeatur « mera damni alieni possibilitas », ubi etiam *ad circumstantias* attendendum est[10].

g) « Si agens *media* ad damnum inferendum *apta* adhibuit », ubi « attendendum est ad *nexum naturalem* inter actionem et damnum illatum » et ad *circumstantias.* — Diximus jam supra (nota 3) Tanquerey ut causam efficacem habere etiam causam per accidens « sed quia damnum *praevideri nequit probabiliter secuturum* » deficere culpam theologicam[11].

h) si « actio in effectum veram efficientiam habeat ... idque *natura sua.* Requiritur quoque ut, *pro rei gravitate,* effectus *sat proxime* sequatur ut morali et humana praecautione vitandus fuerit. Quod solent exprimere: oportet ut effectus sequatur per se »[12].

i) « quae juxta moralem aestimationem vim habeat damni determinandi », num autem de causa an de occasione agatur « *aliquando ex circumstantiis* pendet ». Causa autem videtur solum illa, quae *natura sua* effectum producit cum dicatur « ablatio pecuniae non producit morbos », ubi tamen statim additur ex D'Annibale « utrum actio causa damni, an occasio extiterit, aliquando ex circumstantiis pendet »[13].

j) « quae ex *natura sua apta sit* ad damnum producendum vel *verum influxum* in illud exercendum », secus « damnum ... in actione *non continebatur* neque in ea *praevideri potuit* », et ideo « aut *involuntarium,* aut etsi volitum, tamen *non-voluntarium* ». At excusari ne-

---

9 Genicot I, 516.

10 Gury I, 604, 669.

11 Tanquerey III, 437-441.

12 Vermeersch II, 542.

13 Piscetta-Gennaro III, 334.

quit qui actionem prohibitam propter periculum posuit sed « *cautionem necessariam non adhibuit* atque ita infortunio *occasionem* dedit »; ergo etiam ubi actio *non natura sua* causa damni efficax sit, videndum num quis positiva fraude eam talem effecerit, ubi « fraus prudenter movere potuerit » [14].

k) ad quod « *non sufficit* damnum esse *volitum*, sed debet esse *voluntarium*, etiam moraliter, ita ut agenti tamquam causae imputari possit », ad quod non sufficit quod actio talis sit « ex qua damnum mere sequi potest vel etiam *probabiliter* secuturum videtur, sed ita ut *ex causa* justa et *proportionata permitti possit*, indeque actio moraliter causa damni non habeatur » [15].

l) si « actionis *circumstantiae* tales fuerint, ut *proxime* influxerint *moraliter* ad imputationem ... sequi autem censetur per accidens quando *ut plurimum* a causa posita *non oritur*, vel etiam *ab ea sola, sine aliarum causarum concursu*, oriri non posset » [16].

m) si « actio verum influxum habeat in damnum ejusque realis ratio sit, *non mere occasio* ... debet autem ea actio nexa esse cum damno per *habitudinem* causae (sive physicae sive moralis) ad effectum ». Ceterum Ballerini-Palmieri [17] breviter refert opinionem De Lugo, cui tamquam minus sibi cohaerentem opponit opinionem Lessii circa influxum intentionis in efficaciam causae.

n) Pruemmer [18] exemplis tantum rem illustrat.

5) D'Annibale bis quaestionem tractat: *a*) prima vice modo generali ubi de imputabilitate actuum humanorum [19], sed cum ibi de charitate et de justitia simul lo-

---

14 Lehmkuhl I, 979.

15 Aertnys-Damen I, 736.

16 Marc-Gestermann-Raus I, 949.

17 III, 338-342.

18 II, 95.

19 I, 156-157.

quatur, non semper satis apparet quid singulis applicari debeat, *b*) secunda vice ubi de damno et de injuria [20].

a) « *causa* dicitur, si in ea *effectus praeexistit*: secus *occasio* dicitur », ad quod requiritur « ut inter actionem, et id quod sequitur, intercedat *connexio aliqua* vel physica vel saltem moralis ... *nec interest* utrum effectum [causa physica] praestet *immediate an mediante* ... nam *causa causae est causa causati* ... Ubi *nulla* hujusmodi *connexio* intercedit, non causa sed *occasio* intelligitur, quae *causa imperfecta* quaedam est (II-II, q. 43, a. 1, ad 3) » [21].

« Nos haec de effectibus quaerimus, quos seu justitia seu caritas cavere jubet. Quamobrem Nostri heic *causam* accipiunt, cum de damno alterius agitur, *late,* idest, sive causam, sive occasionem. Dixi cum de damno etc., nam remoto damno, sive temporali sive principali, alterius vel tuo, quod *ex occasione* sequitur, quasi *secutum casu et per accidens, non imputatur* ... Idem dicendum est si ex causa *levi* oriatur aliquid *grave* ... quia non potest effectus sua causa major esse » [22].

« ... admonendi sumus quaestionem hanc ad eos effectus non pertinere *qui actionem integrant* ... quippe qui ab ea separari non possunt; ideoque *nec ad eos,* quos posita causa, *sequi omino necesse est,* velut ex lethali vulnere mors; ex gravi percussione abortus » [23].

« Age nunc; *quod ex voluntario causatur voluntarium in moralibus reputatur*; ideoque imputatur ei qui causam praebuit ... si illud 1° praeviderit, et 2° debuisset, et 3° potuisset praecavere. Et primo ... necesse est, ut qui causam posuit *praeviderit* effectus hujusmodi: nec ut possibiles tantum, sed *probabiliter secuturos*; aut de eis non

---

20 II, 200-201.

21 I, 156 nota 7.

22 I, 156 nota 8.

23 I, 156.

immerito *dubitaverit* ... At, si et debuisset et potuisset illos praecavere, merito imputantur ... et ideo dicuntur *voluntarii in causa, et denominative* ». Si quis periculum aliquod praevidet, attendendum est « *si* is *omnia* observaverit quae *diligens quisque* observaturus fuisset, *ut non* amplius *probabile* videretur effectum sequuturum, et nihilominus sequutum sit, an debeat imputari » disputant veteres [24].

b) In disputatione an intentio injusta opus injustum faciat D'ANNIBALE [25] cum Lessio Soto, Molina, S. Alphonso contra De Lugo, Cajetanum et Salmanticenses respondet negative. Nec inde inconsequentiae ipsum arguendum esse dicit « qui alibi diximus, quod ex actione tua per accidens, si illud volueris intenderis, fieri *voluntarium in se* ... nam fit revera sed *affective* non effective. *Nec aliud*, si quid opinor, *juris est* in eo, qui nedum nocendi animum habuit, sed, ut hoc sequeretur, causam aliquam injuste posuit *remotam et vix probabilem* ... Itaque necesse est ut laesa sit justitia commutativa; utque invito te; et invito rationabiliter ... nam secus, alius magis jure suo facere videretur ... qui damnum dedit cum aliter tueri se non posset; vel ut *evaderet damnum superioris ordinis*; immo et *ejusdem*, si damnum alterius sit *longe levius*, quod caritas cogat eum pati ».

« Ab eo ... qui *cum damno injuriam* intulit, competit restitutio, sive damnum dederit *directe et per se*, sive *indirecte et per consequens*. Porro *indirecte* et per consequens damnum is dare intelligitur, qui causam damni dat ... quia *si damnum per accidens* sequutum sit, *cessat restitutio, nam* quod per accidens fit, *casu fit*. Ceterum utrum damnum per accidens an *suapte natura* sequutum fuerit, *interdum ex circumstantiis* aestinari debet », ut quando

---

[24] I, 157 nota 15.
[25] II, 200 nota 24.

aliquid factum sit « quo *vir cautus* et prudens *decipi potuisset,* an minus »[26].

6) Si nunc breviter elementa apud auctores sparsa colligere volumus, haec fere apparent:

a) Communiter dicunt causam efficacem illam esse, quae ex natura sua: influit, connexionem habet, ordinata est, apta est, vel ut alii malunt: ubi effectus voluntarius proprio sensu est.

b) Plures addunt considerandam esse non tantum naturam actionis sed et *circumstantias*: generatim, vel interdum saltem, ob quas actio de se moraliter habitura est proximam influxum, vel quae proximae influunt in imputationem etc.

c) Saepe dicunt causam debere esse per se et non per accidens vel solam conditionem aut occasionem. Quid autem intelligant nomine causae per se in oppositione ad alias minus patet. Aliqui discrimen in hoc vident quod causa per accidens « effectum solum concurrentibus externis adjunctis producit » ex qua « damnum quidem sequi potest, at ... probabile non est, et proinde secuturum non praevidetur »[27].

d) Relatio inter causam et effectum ea esse potest in qua damnum ex actione: de se necessario; directe, immediate et necessario; moraliter proxime, prudenter habere debuerit; connexione aliqua immediata vel mediata; vero influxu; non solum possibiliter vel probabiliter; sat proxime; non remote et vix probabiliter; vere probabiliter; probabiliter — secuturum est. Ut patet valor attributorum a variis auctoribus adhibitorum non omnino idem est, et consequenter minime patet quando causa efficax vel per se dici debeat necne.

---

26 II, 201 nota 32, ubi plura exempla, sed aliter soluta quam solito fit.

27 Noldin II, 456; cfr. Marc I, 949.

e) Aliqui dicunt damnum in actione contineri debere ut in sua causa, ac propterea proportionem inter duo elementa exigunt « quia non potest effectus sua causa major esse ». — Hoc principium licet theoretice omnino verum sit, in praxi pessime intelligi potest: quasi minimus ignis maximum incendium et damna enormia causare non posset: ut videbimus apud Molinam.

f) Nec desunt qui *de praevisione* damni loquantur, sive ut possibile vel ut probabili.

7) Data ergo hac diversitate in modo concipiendi causam efficacem et considerata nondum plene extincta discussione de influxu intentionis in efficaciam causa damnificantis, nihil mirum etiam infima principia vel, si malumus, solutiones theoricas casuum multum variare.

De qua re advertit Vermeersch [28]: « quando effectus sequitur per accidens, sed actio ex intentione nocendi facta est, disputatur probabiliter in utramque partem an injusta damnificatio habeatur. Atque ubi *verus influxus* fuerit, id affirmandum videtur. Excusatio enim nimiae difficultatis attendendi ad effectus remotos propriae actionis, ei non prodest qui actionem ad nocendum facit ».

III. Quid de re veteres senserunt.

1) Theologi periodi classicae non solent ex professo et separatim quaestionem nostram tractare. Plura tamen variis occasionibus scripserunt, quae ad rem nostram referuntur. Sic ubi de cooperatione ad injustam damnificationem, de restitutione ob homicidium pro damno creditorum vel consanguineorum, vel ob impeditam consecutionem alicujus beneficii, sed modo particulari et praecipue ubi de culpa juridica vel theologica, quae ad obbligationem reparationis damnorum requiritur. Huc perti-

---

[28] II, 542.

net etiam vexata quaestio de influxu pravae intentionis in injustam damnificationem et causam damni efficacem.

Hi auctores saepe per modum unius omnes tres conditiones tractant, et insuper alias quaestiones ad illustrandas solutiones adjungunt, quae licet ex una parte profunditati inquisitionis probe consultant, ex alia tamen sine dubio aliquando claritati et distinctioni diversorum principiorum in re concurrentium aliquantulum officiunt.

Sunt quidam auctores primi subsellii qui maximum influxum in posteriores theologos exercuerunt: ex hic aliquos nominamus, non quasi historiam eorum doctrinae texentes, sed ut quaedam principia ab eis usurpata in lucem ponamus. Sic: Dominicus Soto, Ludovicus Molina, Thomas Sanchez, Gabriel Vazquez, Leonardus Lessius, Ioannes De Lugo.

2) Dominicus Soto O. P. admittere non vult animum nocendi obligare ad restitutionem, quae haberi « non potest nisi ubi fuerit contra justitiam. Videndum ergo est ... non quo animo id facias, sed quo jure » [29].

Ex cooperatoribus jubens, consentiens sine quo non, recursus, participans et non obstans restituere tenentur eo « quod isti omnes ... *vere sunt* actionis *causae* », aliae autem quattuor cooperatodum species « nisi quando causa extiterint, non fiunt restituendi debitores » [30].

Ad quaestionem autem « quisnam sit actionis causa censendus » ac proinde in solidum ad restitutionem obligandus dicit « non requiritur illum, qui ad restitutionem tenetur fuisse causam sine qua res non fieret ... sed ... tantum perspiciendum est, nempe ut quicumque *seu causa efficax* cum altero concurrit, ut unam efficiunt causam, censeatur causa, ut teneatur in solidum », quod illustrat exemplo eorum qui ignem admovent « licet uter-

---

29 *op. cit.*, lib. 4. q. 6, ad arg. 6, p. 358.

30 *loco cit.*, q. 7, concl. 3, 4, p. 384.

que per se ilud exureret, nihilominus dum simul coeunt, uterque est causa »[31].

Non obstans ad restitutionem tenetur, si potuit ac debuit obstare; quia tunc alterius actio ipsi « indirecte fit voluntaria » illustrando rem exemplo gubernatoris qui dum navem servare potest, quae sub ejus est cura, non servavit « causa est ejus submersionis ».

Jubens autem et consentiens, licet per se ad restitutionem teneatur, quandoque tamen non obligatur « quando non est *efficax causa* » et « quando non subsequitur damnum » vel « causae non sortiuntur effectum »[32].

Addit insuper plura exempla quando quis sit vel non « causa ».

3) Ludovicus Molina S. I., ubi de actione illicita et periculosa agitur multum curat ut adhibeatur « *debita diligentia* » qua praestita effectus erit « *praeter omnem* ipsius *existimationem* ... eo quod in potestate ipsius non fuerit *praevidere* »[33].

« Illud tamen observa quando res illicita ... *est apta, ut damnum sequatur,* ut si quis de nocte domum alienam ad furandum ingrediatur, pedibusque offendat, atque aliquid infringat, aut damnum aliud det, tunc in eo effectu proximo nocivo *facile* intervenire latam culpam conjuctam cum theologica culpa ... Secus autem res se habet, quando *manifeste constat* effectum secutum *nullo* modo fuisse culpabilem in antecedente culpa »[34].

Admittit cum Covaruvias et Molina aliquem teneri lege Aquilia etiam ex culpa levissima « quando natura actionis seu facti, quo damnum datur ... id exposcit seu patitur »[35]; at contra Covaruvias et alios docet *damna ex combustione* sarcienda esse etiam cum culpa levissima.

---

[31] *ib.*, de 1 concl., p. 384.
[32] *ibid.*, p. 386.
[33] *op. cit.*, tr. 2, t. 3, disp. 728, n. 2.
[34] *ibid.*, n. 3.
[35] *ibid.*, disp. 697, n. 8.

« Eo enim ipso quod ignis est incensus, *prospicere et vigilare tenetur,* qui illum incendit, ne res alterius incedant ac perdat, *quando periculum aliquod est,* ut id sequatur et saltem per diligentissimum *praevideri potuisset,* ne sequatur » [36]; ubi insuper admonet dari posse *culpam theologicam lethalem* cum sola juridica levi vel levissima « *aggrediendo rem valde periculosam,* et *quae multum nocere potest* ... ut in navium incendiis liquet », ubi *facile* et cum maximo dmno « *solent ex levissima occasione* evenire » [37].

Petrus injuste occidens Paulum, quod Ioanni imputatur, non tenetur ad restitutionem quia : « non fuit Ioanni *causa,* sed solum fuit *occasio* illius imputationis ... qui autem solum est occasio ... sive cum peccato sive sine peccato ... non est causa » [38], nisi usus sit ense Joannis ipso invito (quod semper supponendum est), quia tunc « tenetur Petrus ea omnia damna restituere Ioanni; tamquam *jam tunc causa illius* injusta, eorum damnorum, utendo re Ioannis ipso invito ... ad interficiendum Paulum » [39].

« Quando autem Petrus *eo animo ac intentione* occidisset Paulum, *ut Joanni imputaretur* ... *dubitandum non est* Petrum teneri Joanni ad omnia damna, quae illi ea de causa obveniant, tamquam non solum praebentem occasionem, sed *veram moralem* eorundem existentem *causam.* Cum enim morales actus *a fine ac intentione speciem* sumant ... [damna] quae ex ea imputatione illi [Joanni] *nata* sunt sequi; moraliterque sequentur » [40]

Majus autem dubium est, quando Petrus occidit Paulum non quidem eo animo ac fine, ut noceret Joanni : attamen videns et *sperans,* illi imputandum seque ea via facile evasurum poenam ... Propenderem ego ... non ... peccare contra justitiam ... permittendo illi [Joanni] ea dam-

---

[36] *ibid.,* n. 9.

[37] *ibid.,* disp. 698, n. 4.

[38] *op. cit.,* tr. 3, t. 4, disp. 86, n. 1.

[39] *ibid.,* n. 2.

[40] *ibid.,* n. 3.

na ... cum ea notitia et cognitione, quod illi essent obventura aut quod facile obvenire illi possent ea damna. Expediret tamen, ut saltem in poenitentiam talis ac tanti delicti, Petro ... injungeretur, ut damna, vel partem eorum, solveret ac restitueret laeso, illiusve haeredibus » [41].

4) Opinionem Sanchez, Vazquez et Lessii exponit De Lugo generatim objective.

Joannes De Lugo S. I. ponit sibi casum; quid si *diligentia communi* adhibita in sagittando, noluisti majorem adhibere *ut occideres* mancipium Petri? Et respondet: si ignorantia fuit mere concomitans certe non teneri « quia tu non es causa homicidii ... non est voluntarium » [42].

Si autem *ignorantia* est *consequens* ex levi culpa juridica, sed malo animo letaliter, tunc disputari inter auctores. Refert, [43] non quidem ex integro textum *Vazquez* [44]: « Sed parum refert illud [damnum] intendat vel non: modo *vere probabile* sit damnum inde eventurum: si enim probabile est, ex lata culpa tenebitur, etiamsi non intendat; si autem *non est probabile,* si illud *intendat, tenebitur,* quia illius dedit *causam efficacem,* quia ex suo facto secutum est *voluntarie* per se intentum, et ita illa *exterior* proximi damnificatio *fuit volita, unde injusta*: si tamen illud *non intendit, nec probabiliter crederit eventurum,*

---

[41] *ibid.*, n. 4. Hanc subtilissimam distinctionem inter spem et animum nocendi resumunt De Lugo, VIII, 85 et Lacroix, lib. 3, p. 2, n. 155; et quidquid sit de opinione Molinae, qui a D'Annibale, II, 200 nota 24 citatur pro opinione intentionem injustam opus injustum non facere (locum tamen citatum invenire non potuimus), dum econtra tum textus supra relatus, quam testimonium De Lugo, VIII, 74 et 85 contrarium clare supponere videntur. Hoc si non esset, ipse Molina inconsequentiae accusari posset, ut ipse facit (tr. 2, t. 3, d. 726, n. 4 pr.) relate ad Dominicum Soto, et contra eandem accusationem se defendit D'Annibale, II, 200 nota 24.

[42] *op. cit.*, VIII, 71-72. Ejus doctrinam bene resumit Ballerini-Palmieri III, 340-342.

[43] VIII, 73.

[44] *De restitutione*, c. 2, § 2, nn. 31-33, p. 50.

fuit illi *mere casuale,* et ita non tenetur restituere, quia *nec ex intentione* laesit, *nec per accidens ex lata culpa,* quod requiritur ad restitutionem ... Mihi vero semper visum est distinguere sicut jam dixi; siquidem homo non tantum tenetur de damno illato ex intentione ,sed *de casuali,* quod licet intentum non fuerit formaliter, quia tamen fuit ex lata culpa, *indirecte* fuerit *voluntarium,* ut ex supra dictis satis constat ».

Fortassis non immerito De Lugo [45] arguit Vazquez tamquam sibi minus consequentem in *De beneficiis* [46], ubi haec scribit: « Si autem ex opere meo, quod non est contra justitiam, facio proximo damnum ... non violo justitiam ... nulla autem iniustitia est, *ex malo solum animo* profecta, nisi exterius opus sit contra jus proximi, *ergo ex opere,* non ex solo animo restitutio est attendenda ».

De Lugo refert etiam [47] *Lessium* et comparando lib. 2, c. 9, n. 113 cum n. 154 dicit « Sed idem Lessius postea .. contrarium videtur sentire » [48].

In primo citato textu negat Lessius obligationem restitutionis in casu quo damnum proximi intendatur « si tamen *actio exterior cum circumstantiis,* talis sit, ut ex ea *non sequatur* damnum *ut plurimum, seu ex conditione actionis,* sed aliunde ... Ratio est; quia *intentio accipit speciem ab objecto;* ergo si *objectum* non est injustum respectu intendentis, *neque intentio* injusta erit, sed solum contra charitatem ... Deinde, *intentio non facit, ut opus externum magis sit damnosum, aut noxium, aut magis violet aequalitatem,* ergo si per se non est injustum; intentio nocendi non facit esse injustum ».

---

45 VIII, 73.

46 c. 2, § 3, nn. 126-127, p. 404.

47 VIII, 73.

48 Similia repetit De Lugo disp. XI, n. 80, ubi « in editione citata » quidam numeri falso citantur; debet esse recta citatio Lessii lib. 2, c. IX, nn. 113, 151-154 et disp. XII, n. 129.

Thomas Sanchez a De Lugo [49] relatus adhuc magis negare videtur influxum intentionis, asserens [50] « quotiescumque actus ... non est contra justitiam ... mala intentio non efficiet quod sit contra justitiam ».

Ipse autem De Lugo [51] clare amplectit sententiam quae asserit *intentionem supplere posse nexum causalem,* approbans Vazquez supra citatum et asserens : « Ad rationem enim causae multum conducit intentio operantis », cui addit exemplum de laqueo posito in loco ubi difficile est ut homo transeat, cum intentione vel feram capiendi vel hominem suffocandi. Primus ad nihil tenetur, utique secundus, nam « *unus nullo modo erat causa* illius necis,, *alter erit causa,* quia huic *est voluntaria* ... et intentio possit facere quod sit *proprie voluntarium,* et *causatum ab hoc* et non ab illo ».

Postea [52] declarat « quomodo possit alius habere jus ex justitia ne talem actionem ex hac intentione facias, licet non habeat jus ex justitia, ne id simpliciter agas » distinguendo *praecepta* quae obligant ad *omnia impedimenta auferenda* et alia quae obligant tantum ad *non procurandum aliquid,* non tamen *ad impediendum illud,* quod exemplo pollutionis illustrat, quia homo bonum prolis non potest damnificare, sed non tenetur auferre omnia impedimenta quae possunt impedire illud bonum « hoc enim esset *gravissimum onus* ».

Aliud exemplum refert de veneno posito in loco remotissimo cubiculi, ubi Petrus numquam vel fere numquam solet venire. Hic ergo non datur obligatio justitiae vitandi illud proximi *remotissimum periculum licet illud praeviderit,* attamen si « *sub* illa tamen *qualicumque spe* posuisti illud, *ut* si fortasse veniret, et comederet Petrus,

---

[49] VIII, 73.
[50] *Consilia,* c. 1, dub. 49, n. 6; cfr. *ibid.,* c. 4, d. 5, n. 9.
[51] VIII, 75.
[52] VIII, 76.

moreretur: venit et comedit: peccasti peccato homicidii »[53].

Addit tamen hanc observationem[54]: « ... non nego *strictius, et majus longe esse debitum* vitandi illa pericula et impedimenta *in materia homicidii, furti et similium,* quam in materia pollutionis, quia *damnum* ... est *multo minus et magis remotum* ».

5) Proponit sibi deinde[55] difficultates tribus exemplis:

a) de judice juste, sed ex odio damnante

b) de occisione ex odio servato tamen moderamine inculpatae tutelae

c) de illo qui sustinet alium ne cadat in flumen et ipse in periculo cadendi cum illo constitutus relinquit illum ex malo animo.

Respondens[56] solutionem facilem esse ;in duobus primis casibus proximus *nullum jus* habet « ad suam vitam *in illis circumstantiis* »; in tertio autem exemplo cadens in flumen *habet jus ne procures ejus mortem, non ut eum adjuves* et defendas « quare omissio adjutorii, licet id ex prava intentio omittas, non facit te injustum ».

Inde jam patet differentia cum casu de veneno, ubi « *concurris positive,* ponendo aliquam causam, *non* quidem *moraliter probabilem,* sed tantum possibiliter causativam, et ex hac intentione ut causet prout de facto postea causat nocumentum alienum, *quae sufficiunt* ut dicaris *causa propria et directa* illius effectus secuti ».

Si occidisti Petrum, non eo animo ut imputaretur Ioanni, sed tamen *praevidens et sperans* imputandum Joanni ... facilius homicidium commisisti? Respondet Molina tr. 3, t. 4, disp. 86 n. 4 adhuc non teneri te ad restituendum Joanni ... Addo ego, idem fortasse dicendum, licet non

---

53 Quomodo autem haec « spes » differat ab illa VIII, 85 alia est quaestio.

54 VIII, 77.

55 VIII, 78.

56 VIII, 79.

solum facilius ... sed *etiamsi* ... *absque ea spe* sic evadendi *non occidisses*. Ratio est, quia etiam tunc non censeris causa illorum damnorum, non enim ea intendis, *nec occidis ut* ea eveniant, *sed quia* ventura praevides, et te eo modo evasurum poenam ... »[57].

Similia aliis in locis[58] docet ac repetit, quae omnia referre et longum esset, nec ad scopum nostrum necessaria esse putamus.

6) Liceat tandem aliquid depromere ex duobus auctoribus, qui licet ad periodum classicam theologiae moralis, non pertineant, plura tamen utilia in re nostra habent.

Claudius Lacroix S. I.[59] de obligatione restitutionis disserens, quaerit primo de actione damnosa, sed *non de se injusta, infecta* tamen *vitio interno injustitiae*. Ad quod respondet: non dari obligationem restitutionis « quia alter *non habet jus* ad omissionem actionis illius externae, haec enim de se non est injusta, ut suppono; dato autem, quod habeat jus ad omissionem actionis internae, sicque *per intentionem* illam *internam peccatur contra justitiam*, haec tamen intentio interna *non est causa damni*, sed *sola actio externa* .... quia hoc damnum *aequaliter sequeretur* ex actione externa »[60]. Ex hoc autem differt justitia ab aliis virtutibus, quia intendit medium rei ... nec determinaretur secundum hanc vel illam intentionem »[61].

Ad objectionem « *Accipere librum alienum* est actio externa de se indifferens, quae per solam intentionem fit injusta, si enim arripias animo furandi est injusta; si arripias animo tantum inspiciendi, non est injusta ... » dupliciter respondet:

1) hoc fieri posse « nam *ratione intentionis fit damnosa, ergo* non est mirum, quod ratione intentionis fiat

---

[57] VIII, 85.

[58] VIII, 81-86; XI, 79-92; XXI, 29.

[59] *op. cit.*, lib. 3, p. 2, nn. 148-169.

[60] *ibid.*, n. 148.

[61] *ibid.*, n. 151.

injuriosa », non autem si sit « actio externa de se aequaliter damnosa ex quacumque intentione procedat ».

2) « Permittendo totum, jam enim ostendimus, quamvis actio interna sit injuriosa si tamen non expleatur per actionem externam secundum se injuriosam et damnosam non ideo esse obligationem restituendi » [62].

Nec teneor damni quod alteri imputatur ex meo crimine, *licet hoc praeviderim,* immo etiamsi *sine* hac praevisione *non commisissem* « quia si damnum non sequatur *ex natura, vel communiter* ex positione talis actionis, sed *ex ignorantia vel malitia aliorum,* actio non censetur alteri injuriosa, *non* enim *est proprie causa, nisi per accidens, et* tantum *occasio* illius damni, quod ex justitia non tenetur *impedire,* sed tantum *ex charitate,* si possit sine gravi incommodo » [63].

Hoc valet etiamsi occidam Titium intendens ut hoc homicidium imputetur Cajo [64], nisi « *actio vel circumstantiae ... moraliter* influxissent in imputationem ... si ex illa, *ut plurimum* sequatur imputatio ... nisi quis in ejusmodi actione utatur jure suo » [65].

« Si furaturus noctu intrasti domum Caji aperto clam ostio, et postea egrediens relinquens ostium apertum, *satis sciens* periculum inde esse, ne etiam alli ingrediantur et furentur, si hoc fiat, teneris etiam ad haec damna ... exponebas enim domum *prudenti et proximo periculo,* et quidem *per se,* quia illa *occasio* aperti ostii est de se allectiva furis » [66].

Quid si alium impedias a bono consequendo, docet *ibidem,* n. 69.

7) JOSEPHUS VOGLER S. I. quaestione XI interrogat

---

62 *ibid.,* n. 153.
63 *ibid.,* n. 155.
64 *ibid.,* n. 156.
65 *ibid.,* n. 157.
66 *ibid.,* n. 169.

« An resarciri debeat *damnum per accidens* et ex ignorantia datum? ».

« Titius vacans venationi licitae, praemissa *sufficienti diligentia, certissimo* sibi persuadet in frutetis latere bestiam, mallet praesentem esse Cajum inimicum, jaculatur, et reipsa non bestiam, sed Cajum occidit: in hoc casu non tenetur Titius ad restitutionem ex homicidio ... *Affectus Titii* quo vellet occidere Cajum, est pure *conditionatus et concomitans,* ac nullatenus *dirigit, imperat aut efficit* occisionem Caji ... *Nemo vult absolute nunc facere quod videt hic et nunc sibi non esse possibile* »[67].

« Vacans operi prohibito, quod tamen non est contra justitiam, *si,* facta sufficienti cautela, *per accidens* causet damnum, non tenetur ad restutitionem ... Damnum injuriosum in hoc casu *fortuitum est* et *omnino involuntarium*: non enim est *voluntarium in se, vel directe,* cum damnificans illud nequaquam praevideat aut intendat; *nec est voluntarium in causa, vel indirecte, cum damnum per se, vel ut plurimum,* vel etiam *frequenter* non oriatur ex opere, et consecutio illius *invincibiliter* ignoretur: invincibilis autem ignorantia tollit voluntarium »[68].

« Qui vacat operi formaliter injusto, et voluntarie causat iniquum et grave damnum, et *per accidens et praeter omnem intentionem ac suspicionem* infert *aliud* damnum quod cum priore per se *non* connectitur vel ex eo *communiter, ut plurimum,* aut *valde frequenter* non oritur, non tenetur ad reparationem *posterioris* damni ... nam effectus *ordinarie* non dicitur *volitus in causa* nisi per se, vel necessario, vel ut plurimum, vel admodum frequenter proveniat ex causa, vel *nisi* saltem cognoscatur consecutio effectus ex causa »[69].

« Auctor injusti damni, si tantum *praevideat aliud*

---

[67] *opus citatum* in Bibliographia, n. 168.
[68] *ibid.,* n. 169.
[69] *ibid.,* n. 170.

damnum sequi posse, sed tamen *moraliter certo* sibi persuadeat damnum minime secuturum, non tenetur ad restitutionem, secuto damno ... Nam ... *nemo prudenter timet eventus pure possibiles,* quorum *periculum* est *valde remotum* ... id solum est verum, *sufficere minus periculum ut ex justitia tenearis actionem omittere,* quando *periculum est irreparabilis damni quoad vitam,* quam si damni periculum est in aliis minoribus bonis » [70].

Omissis aliis locis ubi similia refert et ad casus practicos applicat [71], tantum unum textum addimus, qui ad objectivam expositionem opinionis Vogler exigi videtur :

« Quando ponitur *opus externum,* quod est *indifferens ut noceat alteri, saepissime* propter variationem *intentionis* variatur *obligatio restitutionis. Ita omnes* ... Nam intentio *saepissime determinat opus externum ut sit alteri nocivum,* et saepissime determinat ut *non* sit *nocivum,* opus vero *quod non est nocivum* alteri, *numquam est contra justitiam, ut per se patet* ... Sic v. gr., qui tollit e mensa monetam alterius, animo tantum inspiciendi formam et insignia non peccat contra justitiam : qui tollit vero animo furandi vel rapiendi, pecccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem ». Similiter qui librum alterius accipit [72].

8) Si jam fructus huius longioris disquisitionis colligere volumus, haec fere observanda occurrunt :

a) Auctores saepe adhibent notiones fundamentales : causae efficacis, causae per se et per accidens, conditionis, occasionis et casus, similiter voluntarii directi seu per se et voluntarii indirecti seu in causa, sed non satis clare exponunt quid his notionibus intelligant nec sufficienter concordant circa influxum variorum elementorum in causam efficacem.

---

70 *ibid.,* n. 171.
71 *ibid.,* nn. 172-175, 399-413.
72 *ibid.,* n. 401.

b) Concordant fere quando effectus: necessario, per se, semper, saepissime, ut plurimum, admodum frequenter, frequenter, communiter sequitur, adscribi agenti ut causae efficaci seu per se, sive directe sive indirecte, minime vero quando probabiliter tantum sequitur.

c) Praevisio damni et periculi alieni attente consideratur, quando effectus conjungitur causae de se, quando actio apta est natura sua ad effectum producendum: sed praecise remanet explicandum quando actionis natura talis sit necne.

d) Examinant proximitatem cooperationis ad damnum alienum et bene observant circumstantias in his rebus saepe magnum influxum exercere; nec negligunt notare incommoda si vitare deberemus omnia damna pure possibilia, improbabilia moraliter, parum probabilia vel remotissima tantum.

e) Moralitas desumitur vel ex fine vel ex objecto; aliqui insistunt magis in primo elemento ac proinde intentionis vim efferunt, alii in secundo, ut objectivitatem damni in tutum ponant.

f) Licet verbis dissideant, fundamentaliter tamen videntur concordare actionem injustam fieri posse ex mutatione intentionis, quod Vogler opinionem omnium asserit.

g) Injustitiam sumunt sensu stricto vel minus stricto, ac proinde aliquando affirmant, aliquando negant intentione violari posse justitiam, cujus notio non semper satis concordans.

h) In praxi non satis sempre distinguunt voluntarium et volitum.

Licet ergo veteres theologi plurima utilissima elementa solutionis nobis praebeant, cum non satis explicite distinguant varia elementa, quae nexu strictissimo vinculantur, nec de eorum influxu in causalitatem efficacem sufficienter concordent, alibi solutio quaerenda est.

IV. Philosophorum placita

1) Recurramus ergo oportet ad philosophos, quibus ex professo de nostris fundamentalibus notionibus disserendum est videamus saltem per summa capita, quae nobis ex doctrina eorum utilia esse possunt. Doctrinam eorum brevissime constringemus remittentes ad opera citata in Bibliographia sub 2°.

Principium a philosophis dici solet « id, unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur » [73], vel « id a quo aliquid procedit quocumque modo » [74].

Causa vero « principium influens esse in aliud » vel « principium per se influens esse in aliud », quod ita explicat Suarez [75] « *per se influens*, excluditur privatio, et omnis causa per accidens, quae per se non conferunt aut influunt esse in aliud ».

Causalitas in communi dici potest cum Suarez [76] « influxus ille, seu concursus quo una quaeque causa in suo genere influit esse in effectum ».

Causa differt a *conditione*, quae per se et qua talis non influit in effectum, sed requiritur ad hoc ut causa influere possit, quia vel agendi virtutem, subjectumque actionis disponit, praeparat, applicat vel saltem impedimenta removet [77].

Non est ergo *conditio* causa proprie dicta « quamvis reductive pertineat ad causam illius generis, in quo adjuvat alique modo, quia scilicet effectus sic pendet a tali conditione, ut sine illa non possit naturaliter, immo interdum nec essentialiter, a sua causa in eo genere procedere » [78].

---

73 Aristoteles, *Metaphysica,* lib. 5, cap. 1.

74 S. Thomas Aquinas, *Summa theologica,* p. I, q. 33, a. 1.

75 *Disputatione metaphysicae,* disp. 12, sect. 2, n. 4.

76 *ibidem,* n. 13.

77 Delmas, *op. cit.,* n. 437.

78 Urraburu, *op. cit.,* n. 382.

Immo, ut alio in loco dicit Delmas [79]: « Abscissio fili casum corporis suspensi determinat » et dici potest « *causa per se* », sicut et « qui domui applicat ignem, dicitur eam incendere ».

« Si autem quaeras *ex quo dignoscitur* aliquid concurrere ad effectum ut conditionem, non ut causam, *id ex adjunctis et experientia disci solet.* — Si proportio ad influendum desit, neque rei perfectio in effectu reluceat, res non erit nisi conditio » [80].

Conditio porro duplex distinguitur: *simplex,* si actio fiat perfectior cum ipsa, et *sine qua non,* si actio sine ipsa fieri nequeat nec ab alia suppleri: sic fulciminis vel fili sustinentis petram remotio est *conditio* casus petrae non causa, quae est gravitas seu attractio. — Similiter parietis apertura est *removens prohibens* i. e. *conditio* ut lux videri possit, causae vero duae: objectiva lux, subjectiva oculos seu potentia visiva. — Actiones physicae et chimicae non exercentur nisi per contactum qui est *conditio sine qua non* actionis, corpora in contactu causae agentes [81].

Differt etiam *causa* ab *occasione,* quae est quaedam agendi opportunitas, voluntatem aliquomodo sollicitans promptioremque reddens, non tamen ad effectum de se determinans, proindeque cum effectu intrinsece inconnexa. Sic tenebrae sunt occasio, non causa furti, pretium infimum alicujus vasi pretiosi occasio ut ematur [82].

« Causa efficiens est necessaria ad productionem effectus, non autem *occasio,* quae *influit mediate* tantum *in effectum* et immediate in voluntatem agentis vel removendo obstaculum quod prohibeat ejus actionem vel *positive* alliciendo eam ad agendum. Liberata ab obstaculo vel

---

79 *op. cit.,* n. 481.
80 DELMAS, *op. cit.,* n. 437; cfr. URRABURU, *loco cit.*
81 MERCIER, *op. cit.,* n. 220.
82 DELMAS, *op. cit.,* n. 437; MERCIER, *op. cit.,* n. 221.

excitata ad agendum *voluntas decidit actionem et causa efficiens producit suum effectum* »[83].

Occasio autem a *conditione* differt, quia per se non requiritur ut causa agat; sed causam cognitione praeditam ad agendum invitat[84]; prima tantum causas liberas, secunda omnes respicit. Conditio proprie dicta indispensabilis est ad agendum, non item occasio[85].

2) Inter *multiplices divisiones causae*[86], hae magis ad rem nostram pertinere videntur:

1° Causa *intrinseca* et *extrinseca*: « intrinseca est, quae causat tamquam pars intrinsece constituens effectum » ac proinde solum inadaequate distinguitur a suo effectu. « Extrinseca est, quae a suo termino, saltem immediato et formali, distinguitur adaequate, quia nempe non ingreditur constitutionem ejus, sive interea sit intime unita cum illo, sive non talis est v. gr. causa efficiens ».

2° Causa *adequata seu totalis* et *inadaequata seu partialis*. Prima est illa « quae [de] se sola potest influere, quantum sufficit, ut existat effectus », altera « quae *alterius* causae consortio *eget*, ut effectum faciat existere ». Deus autem solus est causa absolute totalis, creaturae tales dici possunt in genere causae secundae, si cum solo Dei ordinario concursu producere queant effectum consentaneum. Accidit tamen quod causa quaedam totalis sit quoad virtutem, quin tamen *actu* influat ut causa adaequata: sic saepe bini aequi currum trahunt, quem singuli trahere possent, quia non adhibent totum conatum, qui necessarius esset si soli traherent.

---

83 MERCIER, *loco cit.*

84 DELMAS, *l. cit.*

85 MERCIER, *loco cit.*

86 URRABURU, *op. cit.*, n. 383.

87 Hanc divisionem et sequentes plures exponunt ubi de causa efficiente.

3° Causa *per se* et *per accidens*. De prima dicit Suarez[88]: « est illa a qua *directe* pendet effectus *secundum proprium esse* quod habet, in quantum effectus est, quomodo (ait Aristoteles) statuarius est causa statuae; ... *haec sola est proprie et simpliciter causa* ».

Causam per se aliqui[89] duplicem distinguunt, quam opponunt et explicant per causam per accidens. Inde « Causa per se *late* dicitur ea quae ad effectum necessaria est; *stricte* autem ea est, quae *proprie influit in effectum, ex intentione* sive *naturae* sive *voluntatis* ».

« *Causa per accidens* ea est quae proprie *non influit* in effectum, *nec* eum *intendit,* illi tamen conjungitur. Quod duobus modis contingere potest. — *a*) Agens sub ea formalitate qua non influit, per accidens agere dicitur, ut dum musicus aedificat (vel « ut si quis causa fulminis dicatur, quia eo intrante domum, fulmen de coelo cecidit; vel si quis dicatur causa motus lapidis, eo quod solum removeat impedimentum »). *b*) Causa etiam per accidens dicitur, cui adjungitur effectus *praeter intentionem aut expectationem;* ut si quis fodiens terram, thesaurum forte inveniat. — Effectus per accidens secundo modo *casus* (vel fortuna) appellatur, qui proprie non est ens, sed plurium inconnexorum concurrentia. Hinc ratione totius non requirit causam per se, verum satis est, quod ejus partes singillatim causentur. Ita quidem depositio thesauri in terra, per se causatur ab homine thesaurum abscondente, fossio a fossore; a *concurrentia* vero fossionis cum thesauri existentia in hoc loco, *thesauri inventio causatur*, quae non est per se, sed per accidens, quia nihil ponitur cum tali concurrentia per se connexum. Ex duobus ergo factis, quorum singula causam per se habent, *concurrentia fortuita per accidens resultat*, quae directe et per se non habet causam, quum non sit proprie ens ».

---

88 *Disputationes metaphysicae*, disp. 17, sect. 2, n. 2.
89 Delmas, *op. cit.*, n. 480. Urraburu, *loco cit.*

« *Causa* autem per *accidens, cum non sit vera causa,* sed per quandam similitudinem aut conjunctionem cum causa sic appellatur, non potest commode una communi descriptione definiri, sed variis modis dicitur » [90].

« Ex hac effectus per accidens declaratione facile intelliges veritatem illius effati: *Id quod est per accidens, reducitur ad causam per se;* primo quidem quia effectus per accidens numquam producitur, nisi quatenus simul adest *effectus alius per se ab eadem causa* procedens. Deinde quia cum causa non agat aliquid per accidens, nisi quatenus aliquid aliud agit per se, quamvis una eademque sit re causa per se et per accidens, et solum differat respectu diversorum effectuum, nihilominus ratione prius est quod efficit per se, quam quod efficit per accidens » [91].

Causae quae in natura agunt, observat Mercier [92], diriguntur in finem: quando naturaliter agunt finem attingunt vel ipsi propius accedunt. *Accidit* autem *dum una causa* naturalis agit, ut etiam *alia simul* cum ipsa agat: *actionum concurrentia saepe causae naturali attribuitur,* sed proprie causa nullo modo est. Eventus concurrentes, effectus per accidens sunt merae coincidentiae. Nutritio substantialis est naturaliter benefica, sed pro stomacho debili potest esse causa perturbationis. — *Causa* vero *accidentalis* vocatur.

S. Thomas [93] quadruplicem distinguit causam per accidens: « Uno modo *ex parte causae;* quia scilicet illud quod accidit causae, dicitur causa per accidens, sicut si album dicatur causa domus. Alio modo *ex parte effectus;* ut scilicet aliquid dicatur causa per accidens alicujus, quod accidit ei quod est effectus per se. Quod quidem potest esse tripliciter. Uno modo quia habet *ordinem necessarium* ad effectum, sicut remotio impedimenti ... Alio

---

90 Suarez, *op. cit.* disp. 17, sect. 2, n. 2.

91 Urraburu, *op. cit.,* n. 383.

92 Mercier, *op. cit.* n. 222.

93 *In metaphysicam,* lib. 5, lect. 3, n. 789.

modo, quando accidens habet ordinem ad effectum, *non* tamen *necessarium, nec ut in pluribus,* sed *ut in paucioribus,* sicut inventio thesauri ad fossionem in terra. Et hoc modo *fortuna et casus* dicuntur causae per accidens. Tertio modo, quando *nullum ordinem* habeat, nisi forte secundum existimationem, sicut si aliquis dicat se esse causam terraemotus, quia eo intrante domum accidit terraemotus ».

Notat autem Suarez [94] causas per accidens ex parte effectus « interdum effectum appellari per accidens *respectu concursus* aliquarum causarum, *quamvis supposito illo concursu, talis effectus per se manet a tali causa*: ut verbi gratia, quod cadente lapide contingat Petrum illam incedere, accidentarium est; tamen, supposito illo concursu, quod lapis sua vi percutiat, et tale vulnus efficiat, *effectus est per se* proveniens a tali vi activa lapidis, et ideo tunc *non dicetur lapis causa per accidens* illius effectus, nisi respectu illius concursus, vel etiam respectu intentionis moventis ... quando effectus dicitur per accidens eo quod conjungitur effectui per se dupliciter dici posse per accidens. Uno modo, *respectu solius intentionis agentis* ... [quando] unus effectus *ex natura rei* est connexus cum alio, quamvis sit praeter intentionem agentis ». Sic corruptio unius cum generatione alterius, quae est tamen praeter intentionem agentis naturalis et « hac ratione solet etiam dici effectus per accidens, *non tamen* ita *proprie et simpliciter* ..., nam quatenus est *necessario connexus est aliquomodo per se.* Cujus *signum* est, quod de illo *esse potest scientia et demonstratio.* Imo ... dici potest ille effectus *non esse* omnino *praeter intentionem* agentis; quia licet non sit propter se intentus, est tamen *aliquomodo intentus propter principalem finem* ... Alio modo, etiam *respectu ipsius actionis, et connexionis* unius effectus cum alio Contingit enim unum effectum, non solum esse praeter in-

---

[94] *Disputationes metaphysicae,* disp. 17, sect. 2, nn. 4-5.

tentionem agentis, sed etiam *nullo modo esse connexum cum actione ejus, ut* quod fodiens inveniat thesaurum. Et tunc est propriissime causa per accidens »[95].

Numerantur inter causas per accidens etiam *conditio necessaria ad agendum,* quae per se non influit in effectum vel actionem « ut est propinquitas agentis ad passum, ablatio impedimenti, et quaelibet alia similia, quae vocari solet *conditio sine qua non.* Verumtamen haec licet sit per accidens *respectu propriae et directae causalitatis,* tamen quoad physicam necessitatem, et quatenus *sub scientia cadere potest, est quodammodo per se,* ... interdum *non est facile discernere, utro modo* aliqua dispositio seu proprietas rei *concurrant* ad actionem, an, scilicet, ut *principium per se,* an solum ut *conditio sine qua non.* Et ideo aliquando id cognosci potest ex generali ratione, aut modo talis proprietatis ... Aliquando vero id est obscurius, et ex speciali aliqua ratione ejus rei, de qua est quaestio, id venandum est »[96].

Hic brevissime quaedam *de casu* subjiciemus[97]. Casus dupliciter sumitur:

A) *Primo et principaliter* pro *effectu casuali ac fortuito,* qui per accidens ac praeter intentionem conjungatur effectui per se intento ab aliqua causa, ut quod fodiens terram ad fundamenta domus jacienda, thesaurum inveniat, vel quod Petrus per plateam transiens, tegula vento mota ac de tecto decidente, occidatur. Duo proinde sunt de ejus ratione:

a) *ut raro eveniat,* non praecise et in se consideratus, sed quod raro sequatur talis effectus a tali causa.

b) *ut praeter intentionem et opinionem aut scientiam eveniat,* quod dupliciter intelligitur: ita ut *nullus*

---

95 *ibidem,* n. 4.

96 *ibidem,* n. 5.

97 S. Thomas, *Physicorum,* lib. 2, lect. 8; Suarez, *op. cit.,* disp. 19, sect. 12; Urraburu, *op. cit.,* n. 432; Mercier, *op. cit.,* n. 247.

sit ordo naturalis in tali causa, vel ita ut *nulla fuerit directio* alicujus, qui talem effectum sibi obtinendum proposuerit. « Unde *idem effectus* mortis, quae tegula desidente accidit, poterit esse vel non esse *casualis*, prout fuerit vel abfuerit in aliquo *intentio* eo pacto occidendi hominem : et eadem inventio thesauri, quae fortuita sit pro fossore, *fortuita minime foret* illi, qui *cognoscens* ubinam thesaurus jaceret repositus, fodere aliquem ibidem juberet » [98].

Mercier [99] dicit « Cournot è d'accordo con Aristotele : Un avvenimento che non pare suscettibile d'una spiegazione razionale viene attribuito al caso; ma subito che la mente *intravvede una spiegazione* di questo genere, scompare l'idea del caso ».

B) *Pro causa hujusmodi effectum.* Et tunc dicendum est « non esse peculiarem aliquam causam per se institutam ad talem effectum, sed esse posse quamlibet causam efficientem creatam, quatenus *ex accidente,* et *praeter intentionem* conjungitur *cum effectu per se* illius, alius *effectus rarus,* et omnino accidentarius » [100].

Casum et fortunam admittere licet, sed locum habent respectu agentium creatorum, non autem respectu Dei; nam ut dicit Mercier [101] : « Allo sguardo di Dio non c'è alcun effetto che non sia conosciuto e voluto; dunque per lui non c'è caso ... Il caso esiste solo per noi, il cui orizonte è limitato e le cui previsioni, poggiate sul corso ordinario delle cose, sono sempre in qualche parte fallaci e frequentemente smentite dall'esperienza ».

Bene etiam rem illustrat S. Thomas [102] : « Contingit autem quandoque aliquid quod ad inferiores causas relatum est fortuitum, vel casuale, quod tamen relatum ad

98 Urraburu, *opus cit.,* n. 432.
99 Mercier, *opus cit.* n. 247.
100 Suarez, *l. c.,* n. 5; Urraburu, *loc. c.*
101 Mercier, *loco cit.*
102 *Summa theologica,* I, q. 116, a. 1.

causam aliquam superiorem, invenitur per se intentum: sicut si duo servi alicujus domini mittantur ab eo ad eundem locum, uno de altero ignorante, *concursus* duorum servorum, si ad ipsos servos referatur, *casualis est*, quia accidit *praeter utriusque intentionem*; si autem referatur ad dominum, qui hoc praeordinavit, *non est casuale*, sed *per se intentum* ».

4° Causa *immediata* et *mediata*, cum qua Urraburu [103] identificat proximam et remotam.

« *Immediata est*, quae ita influit, ut nulla detur causa alia effectui propinquior: *mediata est*, quae influit in aliam causam propinquiorem effectui ... *Causa porro mediata*, alia est *pure mediata*, quae suo influxu non attingit proxime effectum, sed tantum aliam causam propinquiorem; alia vero *non pure mediata*, quae scilicet influit in causam proximam *et simul* etiam *immediata* in ejus effectum: quo pacto dici potest causa mediata Deus ... ».

« Dubitatur autem utrum causa *pure mediata* sit *proprie* et in rigore *causa effectus remoti*. Affirmandum videtur esse ex notissimo illo axiomate: *Causa causae est causa causati*. Nihilominus verius negatur, si proprie loqui velimus. Etenim non proprie causat, nisi quod proprie influit in effectum, vel dat esse effectui ». Quod illustrat exemplo ignis ABC. Supponamus ignem A extingui antequam B producit C « profecto non foret proprie causa ejus: quomodo enim potest, quod jam non est, esse alterius causa? ».

Ad difficultatem « *Causa moralis*, quae nempe consilio vel mandato movet alium ad aliquod opus, habetur causa ejusdem » respondet Urraburu « Causa moralis si proprie talis est, jam *immediate causat effectum in sua linea morali*. Ideo si quis alium consilio vel mandato moveat, ut te vulneret, vulneris tui *causa moralis* proprie

---

103 *opus cit.*, n. 383.

dicitur, quia licet non illud efficiat immediate physice, efficit tamen immediate moraliter ... Ergo *moralis causa se habet* quodammodo relate ad effectum, sicut se habet ille, qui *medio instrumento* effectum ponit ».

Ad aliam autem difficultatem « *Causa remota non est causa per accidens.* Ergo est causa per se, atque adeo proprie causa » post distinctionem causae per se, perseitate necessitatis, quod concedit, et perseitate influxus vel causalitatis, quod negat, haec addit:

« Verum quamvis haec ita se habeant, nihilominus *saepe attribuitur et imputatur effectus* proprie *causae mediatae,* nec solum ut causae morali, sed etiam *ut causae physicae*; ut cum miles tormento bellico turrim destruit, destructio turris eidem attribuitur, quamvis *valde mediate* se ad illam destructionem habuerit. Nam ipse solum ignem admovit ... Si autem res bene perpenditur in hoc et aliis similibus causis, *quamvis causa illa non influit per se* in effectum remotum; tamen talem actionem ponit immediate, quae *necessario determinat effectum* ob necessariam illam actionum seriem » [104].

« Abscissio fili casum corporis suspensi determinat » et dici potest « *causa per se* » sicut et « qui domui applicat ignem dicitur eam incendere » [105].

5° Causa *physica* et *moralis* [106], quarum prima actione reali (non autem solum sensibili vel materiali) producit effectum. Et hoc modo Deus est causa physica dum creat et intellectus dum efficit intellectionem et voluntas volitionem.

« *Causa moralis* ipsa *non efficit,* sed inducit agens rationale ut efficiat, influendo in voluntatem imperio, suasione, minis, praecibus, merito vel demerito, etc. Cum

---

[104] URRABURU, *opus cit.,* n. 383.

[105] DELMAS, *opuc cit.,* n. 481.

[106] cfr. DELMAS, *loco cit.;* SUAREZ, *o. c.,* disp. 17, sect. 2, n. 6.

igitur sit causa *efficaciter aliam determinans*, ipsi ex prudenti aestimatione effectus attribuitur »[107].

Causam moralem dupliciter dici posse explicat Suarez[108]:

a) solum *quia libere effecit*, et distinguitur omnino a physica naturaliter et necessario agente: e. gr. voluntas quae libere amat est causa physica sui amoris; non distinguitur adaequate a causa physica generatim sumpta.

b) « quae *per se et vere non efficit*, moraliter tamen ita se gerit, ut ei imputetur effectus; quomodo causa consulens, aut rogans, aut non impediens cum possit ac debeat ».

« Quo fit ut, *physice seu metaphysice* haec *considerando*, divisio haec revocetur ad priorem de *causa per se et per accidens*; nam causa vere efficiens physice, solum dicitur de causa per se; causa autem, quae *moraliter seu imputative* causat, physice considerata, tantum est *causa per accidens, cum* per se ac *vere non influat* ... Haec vero causa quae physice est per accidens, *moraliter et imputative reputatur per se* ... quatenus est per accidens physice, *non cadit sub scientiam*; quatenus vero est *per se, in genere moris, ad scientiam moralem* spectat ejus consideratio, non ad metaphysicam ».

6° Causa *principalis* et *instrumentalis*. Prima est « de se proportionata effectui, illum virtute propria non elevata producit. Secunda ea est « quae de se improportionata est effectui, illum virtute elevata per causam principalem, producit ».

7° Ex celeberrima divisione omnium causarum in quattuor modorum species[109], vel quattuor genera ad quodvis ens compositum requisita[110], nempe: *materiali, for-*

---

107 DELMAS, *loco cit.*

108 *loco cit.*

109 S. THOMAS, *In metaphysicam*, lib. 5, lect. 3.

110 SUAREZ, *opus cit.*, disp. 12, s. 3, nn. 1-2; URRABURU, *opus cit.*, n. 384; MONACO, *opus cit.*, n. 242.

mali, efficiente et finali nostri particulariter interest de ultimis duabus, quae extrinsecae dicuntur, relate ad primas duas quae intrinsecae nominantur.

a) *Causa efficiens* dicitur « unde principium permutationis primum aut quietis » [111] vel « principium per se, extrinsecum, a quo primo est actio vel effectio rei » [112] vel « principium actione sua determinans existentiam rei contingentis » [113]; « dicitur autem *principium per se* ad excludendam *causam per accidens,* eo sensu intellectam, quae nihil influat in effectum » [114].

De divisione causae efficientis in: per se et per accidens, physicam et moralem, principalem et instrumentalem, totalem et partialem, liberam et necessariam, sicut et de conditione et occasione jam supra principalia praeoccupavimus et plura inveniri possunt apud auctores citatos.

b) *Causa finalis* definitur « id cujus gratia aliquid fit » [115] vel « bonum cujus gratia aliquit fit, vel propter quod agens agit » [116]. De hac ita Suarez [117]:

« In moralibus enim finis est quodammodo tota causa actionum seu effectuum, non quod aliae causae excludantur quatenus physice necessariae sunt, sed quod omnes aliae ex fine sumant quasi primam rationem causandi ».

Ex variis divisionibus ad rem nostram magis pertinet illa: « in *finem operis* et *finem operantis.* Finis operis est ille, ad quem actio vel opus suapte natura ordinatur, ut sublevatio pauperis est finis eleemosynae. Finis operantis est, quem agens sibi pro lubitu intendit, sicut potest esse gloria vana respectu eleemosynam erogantis.

---

111 ARISTOTELES, *Metaphysica,* lib. 5, c. 2.
112 URRABURU, *ibidem,* n. 389; cfr. SUAREZ, *o. c.,* d. 17, s. 1.
113 DELMAS, *o. c.,* n. 444; cfr. PESCH-FRICK, *o. c.,* n. 585.
114 URRABURU, *loco cit.*
115 ARISTOTELES, *Physicorum,* lib. 2, cc. 3 et 7.
116 DELMAS, *opus cit.,* n. 527.
117 Disputationes metaphysicae, disp. 12, sect. 3, n. 8.

Cui affinis est divisio illa in finem *intrinsecum* et *extrinsecum*. Intrinsecus est ille, quem actio, praesertim intentionalis, intrinsece respicit tamquam sui specificativum, ut Deus respectu amoris Dei super omnia. Extrinsecus est ille, quem actio non ita respicit, quamvis haec ad illum obtinendum utilis esse possit, et de facto dirigitur ab operante. Ita si quis ex praevia intentione veniam peccatorum obtinendi, actum amoris divini elicit, remissio peccatorum est finis amoris extrinsecus ».

3) Licet ergo plurimae utilissimae notiones in quaestione de causis a philosophis nobis tradantur, fateri tamen debemus omnimodam claritatem et applicabilitatem ad theologiam moralem nec ex ipsis nos haurire posse.

Nam praeterquam cum Suarez integram seriem causalitatis moralis ad nostram scientiam remittant, et de ea nonnisi aliquas brevissimas et fugaces observationes proponant, saepe ipsi fatentur rem obscuram esse nec facile discerni posse num de principio per se an de conditione tantum agatur, diversaque nomina indiscriminatim adhiberi.

Et licet causam per accidens non ut veram causam habeant, in praxi tamen, non solum causae per accidens sed et conditioni veram causalitatem etiam physicam negare non audent.

Criterium practicum distinctionis causae per se a causa per accidens, conditione simplici vel sine qua non etiam ab illis tandem « ex adjunctis et experientia » vel « ex prudenti aestimatione » repetitur.

Ex causis autem per accidens, eliminata prima et quarta a S. Thoma enumerata, alias in praxi et morali existimatione saepius vera efficientia gaudere difficulter negabitur, nec tandem negatur sive a philosophis et multo minus a theologis, qui saltem secundae causae per acci-

---

118 Urraburu, *opus cit.*, n. 418.

dens omnino communiter et constanter causalitatem per se attribuunt.

In vita autem practica continuo utimur causis naturalibus, quae licet immediate et philosophice effectum ipsae per se producant, communi tamen et universali persuasione existimamus non esse veras causas efficientes, quae naturali activitate rerum inanimatarum tamquam mero instrumento utimur ad obtinendos fines nobis praefixos.

Ceterum vidimus ipsos philosophos non negare hujusmodi distinctionem, sed omnino explicite eam admittere etiamsi eam in rigore metaphysico minus propriam habeant, nec ad scientiam physicam et metaphysicam pertinere, sed magis ad scientiam moralem.

V. Solutionis quaedam adumbratio.

1) Considerata ergo complexitate quaestionis ac variarum solutionum tentaminibus, conabimur breviter subjicere quasdam considerationes, quae ad rem dilucidandam saltem aliquid videntur conferre: exoptantes ut sapientiores hanc fundamentalem quaestionem in tractatu de restitutione attentius considerent ac definitivam solutionem praebeant.

2) Constanter ergo prae oculis habere debemus nos de causae efficacia in ordine ad restitutionem agere.

Efficaciam autem alicujus causae considerare possumus sive in ordine physico sive in ordine morali: incipientes a prima consideratione, quae simplicior et clarior.

Vera causae efficacia in effectu producendo requirit ut habeatur influxus positivus, nec refert an sit totalis vel partialis.

Ubi ergo de tali nexu, etiam post factum, cum certitudine constiterit, admittere debebimus veram causam efficacem. Insuper parum nunc refert num hujusmodi ef-

fectus praevisus ac intentus sit sive a natura sive a libera voluntate hominis.

Ideo etiam distinctio in causam per se et per accidens, conditionem simplicem et sine qua non parum ad rem nostram refert, modo certo constet de positivo influxu totali vel partiali in effectum de facto secutum [119].

Negari ergo non debet vera efficacia in exemplis classicis de inventione thesauri, de occisione tegula vento vel negligentia aut malitia hominis dejecta, de abscissione fili vel remotione fulciminis sustinentis petram, quae suo casu plures occidit, quod jam ceterum omnino explicite a Suarez approbari audivimus. Et de facto omnes dicunt fossorem detexisse thesaurum seu detectionis causam efficacem fuisse, tegulam occidisse hominem et ita porro. Vel si exemplis modernioribus uti voluerimus: qui removet prohibens alicujus bombae, quae utique sua attractione et pondere cadit et effectum producit, occidit permultos, causa efficax mortis eorum dicitur, sive hoc fecerit cum ea intentione, sive quacumque alia de causa; similiter qui radiis solis exponit bombam atomicam et occidit paucos vel multos, homines vel jumenta, recte dicitur causa efficax occisionis eorum.

Ideo qui explodens in dumetum occidit ibi infantem ludentem vera causa efficax mortis ejus dici debet et dicitur.

Nec refert an quis mediate vel immediate aliquid faciat, modo effectus necessario sequatur, ut audivimus ipsum Urraburu asserentem. Causa efficax mortis dicitur qui eum manibus suffocat, baculo occidit, liberata bomba explodit, vel radiis solis exposita bomba atomica in pulverem reducit.

Et haec de attributione (sit venia verbo) physica alicujus effectus agenti, seu de causalitate mere objectiva,

---

119 cfr. VERMEERSCH, *opus cit.*, tom. II, n. 542.

vel si malumus absoluta, quae probe distinguatur oportet ab imputabilitate morali.

De causalitate morali quaedam in fine subjiciemus.

3) Non sufficit tamen scire num aliquis causa efficax alicujus damni in ordine pure objectivo extiterit, ac si proinde effectus damnosus ipsi physice attribui possit; requiritur insuper ut effectus secutus ipsi vere attribui seu imputari possit tamquam agenti morali, seu causae liberae cum advertentia ad normam moralitatis.

Moralitatis fontes tres enumerari solent: objectum, circumstantiae et finis.

Objectum porro, ut observat Vermeersch [120] considerari potest sensu stricto seu presse, vel sensu latiori seu complete sumptum: hoc ultimo sensu comprehendit objectum (presse sumptum), circumstantias et finem. Specificatur ergo actus ab objecto complete considerato.

Objectum vero *presse sumptum* varie describitur, ut « id quod quasi materia suae actionis voluntati praesentatur » [121] vel « id in quod primario et per se ex natura sua tendit; unde idem est ac finis intrinsecus » [122]. Consideratur tamen semper non mere ontologice, sed moraliter, prout a voluntate cum advertentia ad normam honestatis attingitur.

« *Circumstantiae* sunt quaelibet *conditiones* quae, *extra substantiam actus* versantes, eundem *aliquo modo* attingunt, et *quasi accidentia* actuum humanorum dici possunt » [123].

Finis est tandem id propter quod aliquid fit. « Intelligitur autem non finis operis seu intrinsecus, qui idem est ac objectum, sed extrinsecus operantis et adjunctus quo agens movetur ad opus » [124].

---

120 *ibidem*, I, nn. 101-102.

121 I, 102.

122 MERKELBACH, *opus cit.*, I, 138.

123 VERMEESCH, I, 108.

124 MERKELBACH, I, 138.

4) De objecto videtur dicendum.

Circumstantiae in efficaciam physicam multum influere indubium videtur. Causa efficax alicujus effectus secuti multum ergo pendet a circumstantiis. Sic ut resumamus classica exempla: sese praecipitem dare ex fenestra, sese in flumen projicere, relinquere tabulam in naufragio, puerum in flumen projicere etc. poterit esse causa efficax occisionis vel vulnerationis etc., poterit autem esse sine ullo serio periculo; res multum pendet ab altitudine, qualitatibus personae et aliis concretis adjunctis; et ideo non debet negari vera efficacia alicujus causae etiam ut per se, solum ut systema salvum fiat. Qui se projicit ex altissima rupe vel in flumen periculosissimum expers artis natatoriae, qui relinquit tabulam in alto mari, ubi a nemine sucurri potest, certe ponit actionem efficaciter occisivam et quidem per se in ordine physico; quomodo autem talis actio moraliter excusari, immo et laudari possit, alia est quaestio.

Efficacia autem alicujus causae in determinatis adjunctis (circumstantiis) saltem aliquomodo *cognita esse debet*, ut actio homini imputari possit tamquam agenti morali. Auctores dicunt quod effectus praevideri debet, saltem in obscuro, suspicari.

Nulla particularis difficultas habetur quando effectus secuturus praevidetur: per se, necessario, ut plurimum, admodum vel valde frequenter etc. (ut vidimus theologos uno ore conclamantes) et hoc non solum ex objecto in abstracto considerato, sed etiam in concreto, seu in his circumstantiis (quod licet minus unanimiter, non tamen minus recte asserere audivimus).

Ex alia parte effectus mere possibiles seu improbabiles curare non debemus, et hoc non solum, ut dicit Vogler [125], quia « Nemo vult absolute nunc facere, quod videt hic et nunc sibi non esse possibile », sed etiam quia « nemo

---

125 *opus cit.*, n. 168.

prudenter timet eventus pure possibiles »[126], et « valde remota non prudenter timemus »[127]. Ideo hujusmodi actus, si qui sint, non voluntatis sed velleitatis, seu pure conditionati dici debent.

Quomodo autem in praxi haec duo dignosci poterunt? Haec dicenda videntur:

Nemo prudens ponit actionem quae cum magna difficultate connexa est unice ut obtineat effectum mere possibilem sed improbabilem; facile autem accidere potest, ut aliquis aliud quid faciens simul velleitatem habeat, ut praeter effectum primario intentum, alter accidere posset. Sic in exemplo fodientis foveam: si quis hoc faciat unice ut inimicus in eam cadat, quod tamen pure possibile non autem probabile est, vix sane mentis dici potest, ac proinde qua talis tractandus erit, si e contra aliquis sanae mentis hujusmodi quid faciat, indicium est ipsum rem non ut pure possibilem, sed ut saltem probabilem habuisse: et inde saltem unum elementum cum sufficienti certitudine confessarius cognoscet, nec inquisitionem philosophicam de natura actionis instituere debebit, ut tandem dicere possit causam efficacem fuisse.

Praecipua vero difficultas exsurgit quando effectus praevidetur secuturus non ut in pluribus, sed ut in paucioribus, seu quando est tantum vere probabilis non autem certus. Hic praecise intervenit discussio de causalitate per se et per accidens. Qui admittunt in tali casu haberi causalitatem per se logice admittunt causalitatem efficacem damni, veram et realem injuriam ac proinde obligationem restitutionis. Contrarium tenent, qui eam ut causa per accidens habent.

Omissa ergo hac intricatissima via ad solutionem, distinguamus potius voluntarium directum et indirectum.

In primo casu qui directe intendit nocumentum al-

---

126 *ibidem*, n. 171.

127 *ibidem*, n. 184.

terius aliqua sua actione sine ullo dubio peccat. Vidimus jam supra aliquos veteres ibi posuisse peccatum contra charitatem, alios contra justitiam, non tamen cum obligatione restitutionis; huic secundae sententiae omnino adstipulamur saltem eo sensu, quod admittimus verum peccatum internum contra justitiam: nam nullo modo apparet, cur objectum externum alicujus peccati per voluntatem internam amplexum dici non debeat ejusdem speciei ac peccatum quod objectum constituit voluntatis.

Dari autem injuriam sine damnificatione expresse dicit Vermeersch [128] asserens injuriam seu violationem justitiae commutativae haberi posse etiam sine damnificatione « ut si quis ex arca pecuniam sumat quae ibi dormiebat et quam deinde suo loco reponit » quod nomine simplicis laesionis venit.

Utrum autem etiam strictam injuriam damnosam committat ac proinde restituere teneatur, disputatur. In hoc casu quid dicant auctores satis superque jam exposuimus. Referre tamen placet textum Vermeersch [129]: « Excusatio enim nimiae difficultatis attendendi ad effectus remotos propriae actionis, ei non prodest qui actionem ad nocendum facit ». Vidimus enim De Lugo constanter hoc principium repetentem, ut in diversis casibus a restitutione liberare posset: nimiam difficultatem attendendi ad effectus remotos.

Non obstante tamen auctoritate magnorum et non paucorum auctorum, putamus quoad obligationem restitutionis admittendum non esse duplex criterium: unum quando actione damnum directe intenditur, et alterum quando non intenditur, sed praevidetur tantum. Hoc autem praecipue quia communis omnino et fundamentalis tendentia apud omnes auctores, etiam illos qui in casu aliter sentiunt, in restitutione conservandi aliquod ele-

---

128 II, 533.
129 II, 542.

mentum quo statuatur illud medium rei, et observetur illa stricta aequalitas, quae nota propria justitiae communiter habetur, satis jam apparuit ex textibus quos in decursu tractationis attulimus. Hic ergo licet peccatum internum injustitiae certo committatur, quoad obligationem imponendam applicanda omnino esse ea quae mox dicentur de voluntario indirecto.

In voluntario autem indirecto, ubi non intenditur damnum proximi, sed tamen praevidetur probabiliter secuturum, applicandum esse omnino principium duplicis effectus putamus. Practice autem putamus consideranda esse praecipua duo elementa, quae in rem influunt: nempe gravitatem damni et majorem vel minorem probabilitatem effectum secuturum esse ex actione posita. Si ergo agitur de bono maximi momenti, ut de vita (multo magis si de vita plurimorum) sola probabilitas damni secuturi omnino sufficit, ut commitatur peccatum internum et externum injustitiae et si proinde effectus malus de facto sequatur imponatur obligatio restitutionis. Si autem agitur de vulneratione, de bonis fortunae non nimis grandibus gradus probabilitatis effectus damnificantis etiam major esse debebit. Quae solutio omnino conformis est doctrinae veterum, qui insistunt: proximum jus strictius habere ne exponatur periculo quando agitur de bono majoris (maximi) momenti, quam cum agatur de bonis minoris momenti.

5) Res multo difficilior est quoad causam moralem, quae tamen in theologia morali amplum tenet locum ubi de cooperatione in injusta damnificatione et consequenti restitutione.

Hanc licet philosophi physice et metaphysice rem considerantes non habeant ut veram causam; explicite etiam ab ipsis in ordine morali ut talem haberi omnino admittitur.

Difficultas praecipua autem in hoc videtur esse: quod praevisio effectus ex causa secuturi limites probabilitatis

difficile excedat, cum influxus, qui exercetur, semper (nisi agatur de casu anormali) alterius liberae voluntati subjiciatur, ab ea sive accepturus sive rejecturus.

Multos tamen et diversos gradus influxus moralis distinguere possumus:

a) Consentiens in suffragio ferendo primum locum in linea causalitatis efficacis occupare videtur, cum effectus, supposito sufficienti numero, cum certitudine morali sequatur.

b) Mandans alio tamquam instrumento animato et libero utitur: ideo quanto majore auctoritate ac vi psychica in alium polleat, tanto majorem influxum exercet, et proinde cum majore probabilitate effectum expectare potest. Hoc elementum putamus saltem valere tantum quantum hodie communiter accepta notio cujus nomine vel in cujus utilitatem res fiat.

c) Similia ergo respective videntur dicenda de aliis cooperatoribus positivis.

d) Quoad cooperatores negativos jam vidimus Dominicum Soto tantum non obstantem ut veram causam damni efficacem per se habuisse, quia actio alterius ipsi indirecte fit voluntaria. Et sine dubio difficultate non caret quomodo applicari debet in casu non obstantis et multo magis non denuntiantis positivus ille influxus, quem diximus semper requiri, ut qui causa damni efficax dici debeat. Hanc intricatam quaestionem, quae ceterum ad rem nostram non stricte pertinet, penitus amittere debemus.

STEPHANUS TUMBAS S. I.

MONUMENTA

13 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* xxxxv [8 oct. 1953] p. 577)

LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: ANNUS MARIANUS UBIQUE GENTIUM CELEBRANDUS INDICITUR, PRIMO EXEUNTE SAECULO A DEFINITO DOGMATE IMMACULATAE CONCEPTIONIS B. MARIAE V.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Fulgens corona gloriae, qua Deiparae Virginis purissima frons a Deo redimita fuit, magis videtur Nobis splendescere, dum diem mente repetimus, quo centum ante annos Decessor Noster fel. rec. Pius IX, amplissimis Purpuratorum Patrum Sacrorumque Antistitum ordinibus stipatus, apostolica auctoritate falli nescia declaravit, pronuntiavit, sollemniterque sanxit « doctrinam, quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque id-

circo ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam »[1].

Oraculum Pontificis universa catholicorum communitas, quae illud iam diu vehementerque praestolabatur, laetabunda excepit; atque excitata efferbuit erga Deiparam Virginem christifidelium pietas, ex qua quidem, ut oportet, christianorum mores reflorescunt quam maxime; itemque novo quodam ardore viguere studia, quibus fuere almae Dei Genetricis dignitas et sanctitudo in splendidiore sua luce positae.

Ac videtur ipsa Beatissima Virgo Maria eam voluisse prodigiali modo quasi confirmare sententiam, quam Divini Filii sui Vicarius in terris, universa plaudente Ecclesia, iam ediderat. Siquidem quattuor nondum erant elapsi anni, cum innocenti ac simplici puellae apud Galliae oppidum, ad Pyrenaeorum montium radices, Deipara Virgo, iuvenili et benigno adspectu, candida veste candidoque pallio contecta, ac caeruleo defluente cingulo succincta, in Massabiellensi specu se conspiciendam dedit; atque eidem, illius nomen enixe percontanti, cuius adspectu dignata fuerat, elatis in caelum oculis suaviterque arridens respondit: « Immaculata Conceptio ego sum ».

Id, ut aequum erat, christifideles recte intellexere, qui paene innumeri undique gentium pio peregrinantium more ad Lapurdense specum confluentes, suam excitarunt fidem, incenderunt pietatem, ac christianis praeceptis suam conformare vitam enisi sunt; itemque inibi non raro eiusmodi impetrarunt rerum miracula, quae admirationem omnibus commoverent, ac catholicam religionem unam esse a Deo datam probatamque confirmarent.

Id peculiari modo, ut rei consentaneum erat, Romani intellexerunt Pontifices, qui quidem mirabile templum illud, quod, post breve annorum spatium, cleri populi-

---

1 Bulla Dogm. *Ineffabilis Deus,* d. VI idus Decemb. a. MDCCCLIV.

que pietas erexerat, caelestibus ditarunt muneribus suaeque benevolentiae beneficiis.

I

In ipsis vero Apostolicis Litteris, quibus idem Decessor Noster hoc christianae doctrinae caput christifidelibus omnibus firmiter fideliterque retinendum decrevit, nihil aliud fecit, nisi Sanctorum Patrum totiusque Ecclesiae vocem, inde a prisca aetate subsequentium saeculorum cursum quasi supervolantem, diligenter excepit suaque auctoritate consecravit.

Primo autem huius doctrinae fundamentum in ipsis Sacris Litteris cernitur, in quibus rerum omnium Creator Deus, post miserum Adae casum, tentatorem corruptoremque serpentem hisce verbis alloquitur, quae non pauci ex Sanctis Patribus Ecclesiaeque Doctoribus atque plurimi probati interpretes ad Deiparam Virginem referunt: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius ... » [2]. Atqui, si aliquando Beata Virgo Maria, utpote hereditaria peccati labe in suo conceptu inquinata, divinae gratiae evasisset expers, eo saltem, etsi brevissimo, temporis vestigio, inter ipsam et serpentem non ea sempiterna, de qua inde a primaeva « traditione » usque ad definitionem sollemnem Conceptionis Immaculatae Virginis fit mentio, inimicitia intercessisset, sed potius quaedam subiectio.

Ac praeterea cum eadem Sanctissima Virgo « gratia plena » [3] seu κεχαριτωμένη, et « benedicta inter mulieres »[4] salutetur, ex istis verbis, prout « traditio » catholica semper intellexit, manifesto innuitur « hac singulari sollemnique salutatione, numquam alias audita, ostendi Deipa-

---

[2] *Gen.* III, 15.
[3] Luc. I, 28.
[4] Ibid. 42.

ram fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque Divini Spiritus charismatibus exornatam, immo eorundem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustam, adeo ut numquam maledicto obnoxia »[5] fuerit.

Hanc doctrinam, primaevae Ecclesiae aetate, nemine repugnante, Sancti Patres clare satis tradiderunt, qui quidem Beatam Virginem fuisse asseverarunt *lilium inter spinas, terram omnino intactam, immaculatam, semper benedictam, ab omni peccati contagione liberam, lignum immarcescibile, fontem semper illimem, unam et solam non mortis sed vitae filiam, non irae sed gratiae germen, illibatam et undequaque illibatam, sanctam et ab omni peccati sorde alienissimam, venustate venustiorem, sanctiorem sanctitate, solam sanctam, quae, solo Deo excepto, exstitit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu Angelorum natura pulcrior, formosior et sanctior*[6].

Quibus diligenter, ut oportet, perpensis Beatae Virginis Mariae praeconiis, quisnam dubitare audeat eam, quae purior Angelis et quae omni tempore pura[7] exstitit, quovis, etsi minimo horae momento, fuisse omne genus peccati labis expertem? Iure igitur meritoque S. Ephraemus Divinum eius Filium hisce verbis alloquitur: « Revera quidem tu et mater tua soli estis qui ex omni parte omnino pulchri estis. Non enim in te, Domine, nec ulla in Matre tua macula »[8]. Quibus ex verbis luculenter patet de una tantummodo inter omnes Sanctos viros Sanctasque mulieres praedicari posse, cum de cuiusvis peccati labe agatur, nullam prorsus haberi posse quaestionem; itemque hoc singularissimum privilegium,

---

5 Bulla *Ineffabilis Deus.*

6 Bulla *Ineffabilis Deus,* passim.

7 Cfr. Ibidem.

8 *Carmina Nisibena,* ed. Bickell, 123.

nulli umquam concessum, idcirco eam obtinuisse a Deo, quod ad Dei Matris dignitatem fuisset evecta. Hoc enim excelsum munus, quod in Ephesina Synodo adversus Nestorii haeresim sollemniter declaratum ac sancitum fuit [9], et quo nullum aliud posse videtur esse maius, plenissimam postulat divinam gratiam animumque a quavis labe immunem, quandoquidem summam requirit post Christum dignitatem sanctitatemque. Quin immo ex hoc ipso sublimi Deiparae munere, veluti ex arcano fonte limpidissimo, omnia profluere videntur privilegia et gratiae, quae eius animum eiusque vitam praecellenti modo praecellentique ratione exornarunt. Ut recte enim declarat Aquinas: « Beata Virgo ex hoc quod est Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus » [10]. Ac clarus scriptor id hisce verbis enucleat atque explicat: « Beata Virgo ... Mater Dei est; ergo purissima est et sanctissima, adeo ut sub Deo maior puritas intelligi nequeat » [11].

Ac ceteroquin, si rem intento reputamus animo, ac praesertim si incensissimum suavissimumque consideramus amorem, quo Deus Matrem Filii sui Unigeniti procul dubio prosecutus est ac prosequitur, qua ratione vel solummodo arbitrari possumus eam fuisse, etsi brevissimo temporis spatio, peccato obnoxiam divinaque gratia privatam? Poterat certe Deus, Redemptoris meritorum intuitu, hoc praeclarissimo privilegio eam donare; id igitur factum non esse ne opinari quidem possumus. Decebat siquidem Redemptoris Matrem talem esse, ut exstaret, quantum fieri posset, ipso digna; atqui digna non fuisset, si hereditaria labe infecta, etsi primo tantum conceptionis suae momento, teterrimae fuisset Satanae dominationi subiecta.

---

[9] Cfr. Pius XI, Enc. *Lux veritatis; A. A. S.,* vol. XXIII, p. 493 sq.

[10] Cfr. *Summa Th.,* I, q. 25, a. 6, ad 4um.

[11] Corn. a Lapide, *in Matth.,* I, 16.

Neque asseverari potest hac de causa minui Redemptionem Christi, quasi iam non ad universam pertineat Adami subolem; atque adeo aliquid de ipsius Divini Redemptoris munere ac dignitate detrahi. Etenim si rem funditus diligenterque perspicimus, facile cernimus Christum Dominum perfectissimo quodam modo divinam Matrem suam revera redemisse, cum, ipsius meritorum intuitu, eadem a Deo praeservata esset a quavis hereditaria peccati labe immunis. Quamobrem infinita Iesu Christi dignitas eiusque universalis Redemptionis munus hoc doctrinae capite non extenuatur vel remittitur, sed augetur quam maxime.

Immerito igitur acatholici et novatores non pauci hac etiam de causa nostram reprehendunt atque improbant erga Deiparam Virginem pietatem, quasi nos aliquid ex cultu uni Deo ac Iesu Christo debito subducamus; cum contra, quidquid honoris venerationisque caelesti Matri nostrae tribuimus, id procul dubio in Divini eius Filii decus redundet, non modo quod ex ipso omnes gratiae omniaque dona, vel excelsa, ut e primo fonte oriuntur, sed etiam quod « gloria filiorum patres eorum [12].

Quapropter, inde ab antiquissima Ecclesiae aetate, hoc doctrinae caput cotidie magis inclaruit, ac cotidie latius viguit cum apud sacros Pastores, tum in mente animoque christianae plebis. Id testantur, ut diximus, Sanctorum Patrum scripta; id testantur celebrata Concilia, ac Romanorum Pontificum acta; id testantur denique antiquissimae liturgiae, quarum in sacris libris, vel antiquissimis, hoc festum recensetur utpote ex maiorum more traditum.

Ac praeterea etiam inter omnes Orientalium christianorum communitates, quae iamdiu a Catholica Ecclesiae unitate recessere, non defuere nec desunt qui, etsi praeiudicatis adversisque opinionibus animati, hanc doctrinam amplexi sunt, haec Immaculatae Virginis sollem-

---

[12] *Prov.* XVII, 6.

nia quotannis celebrant; atqui hoc procul dubio non eveniret, si id iam antiquitus, antequam videlicet eaedem ab uno ovili abstraherentur, non recepissent.

Libet igitur Nobis, dum plenum volvitur saeculum, ex quo Pontifex Maximus imm. mem. Pius IX hoc singulare Deiparae Virginis privilegium sollemniter sanxit, hisce eiusdem Pontificis sententiis causam universam quasi in unum referre ac concludere, hanc videlicet doctrinam asseverando « iudicio Patrum Divinis Litteris consignatam, tot gravissimis eorundem testimoniis traditam, tot illustribus venerandae antiquitatis monumentis expressam ac celebratam, ac maximo gravissimoque Ecclesiae iudicio propositam et confirmatam »[13] esse, ita quidem ut Sacris Pastoribus ac christifidelibus omnibus nihil sit « dulcius, nihil carius, quam ferventissimo affectu Deiparam Virginem absque labe originali conceptam ubique colere, venerari, invocare et praedicare »[14].

Ac videtur nobis praetiosissima huiusmodi gemma, qua centum abhinc annos sacrum Beatae Mariae Virginis diadema distinctum fuit, splendidiore hodie luce refulgere, cum divino Providentiae Dei consilio auspicato Nobis contigerit ut, ad exitum vergente Iubilaeo Maximo, anno MDCCCCL — gratissima Nostrum subit memoria animum — almam Dei Genitricem definiremus animo fuisse et corpore in Caelum assumptam; atque ita christani populi votis satisfaceremus, quae quidem iam tum peculiari modo nuncupata fuere, cum intaminatus Virginis conceptus sollemniter sancitus fuit. Tunc enim, ut Nosmetipsi in Apostolicis datis Litteris *Munificentissimus Deus* scripsimus, « christifidelium animi incensiore quadam spe permoti fuere, futurum ut a Supremo Ecclesiae Magisterio dogma quoque corporeae Assumptionis Mariae Virginis in Caelum quaprimum definiretur »[15].

---

[13] Bulla *Ineffabilis Deus.*

[14] Ibidem.

[15] *A. A. S.,* vol. XXXV, p. 744.

Altiore igitur efficacioreque ratione exinde christifideles omnes ad ipsum Immaculatae Virginis Conceptionis mysterium mentem animumque suum convertere posse videntur. Ob arctissimam enim necessitudinem, qua inter se haec duo dogmata conectuntur, sollemniter promulgata in suaque luce posita Mariae Virginis in Caelum Assumptione — quae quidem est prioris marialis privilegii veluti corona ac complementum — eo ipso effectum est, ut plenius luculentiusque emerserit mirabilis illius divini consilii sapientissimus concentus, quo Deus Beatissima Virginem Mariam cuiusvis originalis labis esse voluit expertem.

Quamobrem ob duo huiusmodi praeclarissima, quibus Deipara Virgo donata fuit, privilegia, ut terrestris eius peregrinationis ortus ita et occasu fulgentissima emicuere luce; omnimodae eius animi innocentiae ab omni labe immuni, mirabili quadam congruentique ratione respondit amplissima virginei corporis « glorificatio »; atque eadem, quemadmodum fuit cum Unigenito Filio suo adversus nequissimum inferorum anguem in certamine coniuncta, cum Ipso pariter gloriosissimum de peccato eiusque tristissimis consectariis participavit triumphum.

II

Verumtamen haec saecularis celebratio non modo catholicam fidem impensamque erga Deiparam Virginem pietatem omnium in animis refoveat oportet, sed christianorum etiam mores ad eiusdem Virginis imaginem debet conformare quam maxime. Quemadmodum matres omnes suavissime afficiuntur, cum suorum filiorum vultum cernunt propriam ipsarum faciem peculiari quadam similitudine in se referre, ita dulcissima Mater nostra Maria nihil optatius habet, nihil iucundus, quam cum eos videt, quos sub Cruce Nati in eius vicem suscepit filios, sui ani-

mi lineamenta ornamentaque cogitando, loquendo, agendoque exprimere.

Verum enim vero quae pietas non inane sit verbum, non fucata religionis species, non infirmus ac caducus unius momenti affectus, sed sincera, sed vera, sed efficax sit, ea procul dubio nos omnes debet, pro nostra cuiusque rerum condicione, ad virtutem assequendam advocare. Imprimisque necesse est ut nos omnes excitet ad innocentiam integritatemque morum, quae a quavis refugiat atque abhorreat vel levissima peccati macula, cum mysterium illius Sanctissimae Virginis commemoremus, cuius ipse conceptus intaminatus fuit et quavis originali labe immunis.

Ac videtur Nobis Beatissima Virgo Maria, quae per totius suae vitae cursum — cum in gaudiis, quibus suavissime affecta fuit, tum in rerum angustiis atrocibusque doloribus, quibus martyrum Regina extitit — numquam a Divini Filii sui praeceptis exemplisque vel minimum discessit, videtur Nobis, inquimus, ea verba nobis singulis universis repetere, quibus Canae nuptias celebrans, convivii administris Iesum Christum quasi digito indicans, eos allocuta est: « Quodcumque dixerit vobis, facite » [16]. Hanc eandem adhortationem, ampliore utique intellectu adhibendam, nobis omnibus hodie iterare videtur, cum omnino pateat malorum omnium radicem, quibus tam aspere vehementerque affictantur homines, anguntur populi ac gentes, ex eo praesertim oriri, quod non pauci eum « dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas » [17]; eum dereliquerunt, qui unus est « via veritas et vita » [18]. Si igitur erratum est, in rectam redeundum est viam; si obductae fuere mentibus erro-

---

16 Io. II, 5.
17 Ier. II, 13.
18 Io. XIV, 6.

rum tenebrae, quam primum discutiendae sunt luce veritatis; si mors, quae vera mors est, occupavit animos, sitienter actuoseque apprehendenda est vita; eam dicimus caelestem vitam, quae nescit occasum, cum a Iesu Christo proficiscatur, quem quidem si fidenter fideliterque hoc in mortali exsilio sequemur, sempiterna procul dubio fruemur una cum eo in aeternis sedibus beatitate. Haec nos docet, ad haec nos adhortatur Beata Virgo Maria, dulcissima Mater nostra, quae nos profecto plus quam terrenae omnes genetrices veraci caritate diligit.

Adhortationibus autem hisce atque invitamentis, quibus monentur omnes ut redeant ad Christum, eiusque praeceptis se diligenter efficienterque conforment, valde indigent hodie homines, ut probe nostis, Venerabiles Fratres, cum christianam fidem ipsorum ex animis non pauci radicitus evellere conentur vel callidis tectisque insidiis, vel etiam tam aperta ac pervicaci illorum errorum elatione praedicationeque, quos iidem petulanter iactant, quasi habendi sint progredientis fulgentisque huius saeculi gloria. At reiecta religione sanctissima, submotoque numine recta et prava sancientis Dei, iam fere nihil valere leges, fere nihil publicam valere auctoritatem nemo est qui non videat; ac praeterea fallacibus hisce doctrinis sublata spe exspectationeque bonorum immortalium, consentaneum est homines suapte natura immodice avideque terrena appetere, aliena vehementer percupere, atque interdum etiam per vim ad se rapere, quotiens occasio vel aliqua facultas detur. Hinc inter cives oriri odia, invidias, discordias simultatesque; hinc privatim ac publice perturbari vitam; hinc ipsa Civitatum fundamenta pedetemptim subrui, quae haud facile queant legum publicorumque moderatorum adhibita auctoritate contineri ac roborari; hinc denique deformati passim pravis spectaculis, libris, diariis atque adeo sceleribus mores!

Haud infitiamur quidem multum eos hac in causa posse, qui publicae rei gubernacula tractant; verumta-

men tantorum malorum altiore ex fonte procul dubio petenda sanatio est; vis nimirum humana maior in auxilium est advocanda, quae mentes ipsa caelesti luce collustret, et quae ipsos attingat animos, eosque renovet divina gratia, atque efficiat ea aspirante meliores.

Tum solummodo fore sperare licet ut christiani ubique reflorescant mores; ut quae vera principia sunt, quibus Civitates innitantur, quam maxime solidentur; ut civium inter classes mutua, aequa, sinceraque rerum aestimatio, una cum iustitia et caritate coniuncta, intercedat; ut odia tandem conticescant, quorum semina novas miserias pariunt, ac non raro ad humani etiam sanguinis effusiones exacerbatos compellunt animos; ut denique, mitigatis sedatisque inferiorum superiorumque ordinum, quae agitantur, contentionibus, sancta utriusque partis iura aequa lance componantur, ac mutua consensione debitaque verecundia, communi cum utilitate consistere ac conformari queant.

Haec omnia procul dubio christiana tantum praecepta, ad quae alacriter actuoseque sequenda Deipara Virgo Maria nos omnes excitat, penitus firmiterque efficere possunt, si modo ad effectum reapse deducantur. Quod quidem, ut oportet, considerantes, vos singulos universos, Venerabiles Fratres, per Encyclicas has Litteras invitamus ut, pro vestro, quo fungimini, munere, clerum populumque vobis creditum adhortemini ad Marianum Annum celebrandum, que a proximo Decembri mense ad eundem adventuri anni mensem ubique terrarum agendum indicimus, saeculo nempe exeunte primo, ex quo Deipara Virgo Maria plaudenti christiano populo nova gemma refulsit, cum, ut diximus, Decessor Noster imm. rec. Pius IX eam fuisse sollemniter decrevit ac sanxit omnis prorsus labis originalis expertem. Ac futurum omnino confidimus ut Marialis haec celebratio eos edere queat optatissimos salutaresque fructus, quos vehementer praestolamur omnes.

Ad rem autem facilius ac felicius efficiendam, cupimus ut in singulis Dioecesibus hac de causa habeantur opportunae conciones opportunaeque acroases, quibus hoc christianae doctrinae caput luculentius mentibus patefiat; ita quidem ut populi fides augeatur, eius erga Deiparam Virginem pietas exardescat cotidie magis; atque inde sumant omnes, ut caelestis Matris nostrae vestigiis alacres volentesque insistant.

Ac quandoquidem omnibus in urbibus, in oppidis, in viculis, ubicumque christiana religio viget, vel sacellum aliquod, vel saltem ara habetur, in quibus sacra Beatae Virginis Mariae imago christiano populo veneranda renidet, Nos optamus, Venerabiles Fratres, ut eo contendant quam frequentissimi christifideles; ac non tantum privatas, sed publicas etiam una voce unaque mente ad suavissimam Matrem nostram admoveant supplicationes.

Ubi vero — quod in omnibus fere Dioecesibus contingit — sacrum exstat templum, in quo Deipara Virgo impensiore pietate colitur, illuc statis per annum diebus, concurrant piae peregrinantium multitudines, ac propalam in solis luce edant pulcherrimas communis fidei communisque erga Virginem Sanctissimam amoris significationes. Id quidem peculiari modo eventurum esse non dubitamus ad Lapurdenses specus, ubi Beata Virgo Maria, sine ulla peccati labe concepta, tam incense pietate colitur.

Omnium autem in exemplum praecedat haec alma Urbs, quae inde ab antiquissima christiani nominis aetate caelestem Matrem ac Patronam suam peculiari religione coluit. Non paucae — ut omnes norunt — heic habentur sacrae aedes, in quibus eadem Romanorum pietati proponitur; at maxima procul dubio est Liberiana Basilica, in qua Decessoris Nostri piae rec. Sixti III musivum opus adhuc refulget, divinae maternitatis Mariae Virginis insigne monumentum; et in qua « Salus populi Romani » benigne arridet. Illuc igitur praesertim concurrant cives supplicaturi; atque ante sacratissimam illam imagi-

nem cuncti pia vota fundant, id potissimum implorantes, ut quae Urbs catholici orbis caput est, eadem sit quoque omnibus fidei, pietatis, sanctitatisque magistra. « Nam — vos Romae filios, Decessoris Nostris s. m. Leonis Magni verbis alloquimur — licet omnem Ecclesiam, quae in toto est orbe terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus, vos tamen praecipue inter ceteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa apostolicae petrae arce fundatos, et Dominus Noster Iesus Christus cum omnibus redemit, et Beatus Apostolus Petrus prae omnibus erudivit » [19].

Multa quidem sunt, quae a Beatae Virginis tutela, ab eiusque patrocinio ac deprecatrice potentia petant oportet omnes in praesentibus rerum adiunctis. Petant imprimis ut sui cuiusque mores, ut diximus, christianis praeceptis, divina opitulante gratia, cotidie magis conformentur, cum fides sine operibus mortua sit [20], et cum nemo quidquam possit — ut oportet — in commune bonum efficere, nisi prius ipsemet ceterorum in exemplum virtutibus refulgeat.

Petant etiam atque etiam supplicantes, ut generosa ac praefidens iuventus pura integraque succrescat, neu aetatis suae nitentem florem patiatur corrupti huius saeculi afflatu infici vitiisque consenescere; ut effrena sua studia irrumpentesque ardores aequo regantur moderamine, et a quibusvis insidiis abhorrendo, non ad detrimentosa et prava convertantur, sed ad quaecumque sunt pulchra, quaecumque sunt sancta, amabilia, excelsa se erigant.

Petant unanimi comprecantes, ut virilis ac provecta aetas christiana probitate fortitudineque omnibus praestet; ut domesticus convictus inviolata fide eniteat, recte sancteque educata prole florescat, ac concordia mutuoque auxiiio vigeat.

---

19 *Serm. III,* 14; Migne *P. L.,* LIV, 147-148.
20 Cfr. Iac. II, 20 et 26.

Petant denique ut senes bene actae vitae fructibus ita laetentur, ut, adventante aliquando mortalis cursus exitu, nihil habeant quod timeant, nullis conscientiae stimulis angoribusque pungantur, nulla verecundentur causa, sed potius diuturni sui laboris praemium se proxime accepturos esse firmiter confidant.

Petant praeterea, Divinae Matri supplicantes, famelicis panem; oppressis iustitiam; extorribus atque exsulibus patriam; domo carentibus hospitale tectum; iis, qui iniuste vel in carcerem, vel in publicae custodiae loca coniecti fuere, debitam libertatem; iis, qui adhuc captivi post tot revolutos annos a postremo peracto bello, occulte suspirant gemitusque edunt, optatissimum reditum ad patrias sedes; iis, qui caeci vel corpore, vel animo sunt, fulgentis lucis laetitiam; atque iis omnibus, qui odio, invidia, discordia invicem dissociantur, fraternam comprecando caritatem concilient et eam animorum concordiam operosamque serenitatem, quae veritate, iustitia, mutuaque necessitudine innitatur.

Peculiarique modo exoptamus, Venerabiles Fratres, ut precibus, quae per proximam Marialis Anni celebrationem ad Deum incensae adhibebuntur, suppliciter contendatur, ut — auspice Divini Redemptoris Genetrice ac dulcissima Matre nostra — tandem aliquando Catholica Ecclesia ubique gentium sibi debita libertate frui queat, quam eadem, ut luculentissime historia docet, semper in populorum bonum, numquam in eorum detrimentum; semper ad civium, nationum, gentium conciliandam concordiam, numquam vero ad disiungendos animos contulit.

Norunt omnes quibus in rerum angustiis Ecclesia Dei alicubi versetur; quibus mendaciis, obtrectationibus ac direptionibus vexetur; norunt omnes in nonnullis regionibus sacros esse Pastores vel misere dispersos, vel in vincula nulla iusta causa coniectos, vel ita praepeditos, ut libere — quod oportet — suo ipsorum munere fungi nequeant; norunt denique omnes non propriis inibi littera-

rum ludis ac scholis uti posse, non publice editis ephemeridibus ac commentariis christianam posse doctrinam docere, defendere, propagare, ad eandemque recte educatam conformare iuventutem. Quas igitur adhortationes hac de re non semel, occasione data, habuimus, eas etiam atque etiam per Encyclicas has Litteras ex animo iteramus; fore omnino confisi ut per indictum Marialem Annum undique terrarum ad Deiparam Virginem potentissimam suavemque Matrem nostram supplices admoveantur preces, quibus a praesenti ac valido eius patrocinio id potissimum impetretur, ut sacra ea iura, quae ad Ecclesiam spectant, et quae civilis ipse humanitatis libertatisque cultus postulat, ab omnibus palam ac revera agnoscantur, summa procul dubio cum omnium utilitate communisque concordiae incremento.

Haec vox Nostra flagranti permota caritate, ad eos imprimis cupimus advolet, qui ad silentium coacti, atque omne genus insidiis laqueisque impliciti, suam maerenti animo cernunt christianorum communitatem afflictam, perturbatam, omnisque expertem humani auxilii. Hi quoque dilectissimi Fratres ac filii Nostri, una Nobiscum et cum ceteris christifidelibus coniunctissimi, apud misericordiarum Patrem et Deum totius consolationis [21] potentissimum interponant patrocinium Deiparae Virginis Matris nostrae, atque ab ea caeleste petant adiumentum, superna implorent solacia. Ac strenuo invictoque animo in avita fide perseverantes, hanc Melliflui Doctoris sententiam, hoc in gravi discrimine, quasi christianae fortitudinis insigne sibi sumant: « Stabimus et pugnabimus usque ad mortem, si ita oportuerit, pro [Ecclesia] matre nostra, armis quibus licet; non scutis et gladiis, sed precibus et fletibus ad Deum » [22].

Ac praeterea eos etiam, qui ob vetus schisma a Nobis

---

[21] Cfr. *II Cor.*, I, 3.

[22] S. Bern., *Epist. 221*, 3; Migne *P. L.*, CLXXXII, 36, 387.

seiuncti sunt, et quos ceteroquin paterno adamamus animo, ad has effundendas concordes preces supplicationesque advocamus, quandoquidem probe novimus eosdem almam Iesu Christi Genetricem venerari quam maxime, eiusque intaminatum celebrare conceptum. Cernat eadem Beata Virgo Maria eos universos, qui se christianos esse gloriantur, caritatis saltem vinculis coniunctos, suppliciter oculos, animos, precesque ad ipsam convertere, lucem impetrantes, quae mentes superno lumine collustret, atque illam efflagitantes unitatem, qua tandem aliquando fiat unum ovile et unus Pastor [23].

Concordibus autem hisce supplicationibus pia paenitentiae opera coniungantur; facit enim precationis studium « ut animus sustentetur, instruatur ad fortia, ad divina conscendat; facit paenitentia ut nobismetipsis imperemus, corpori maxime, gravissimo, ex veteri noxa, rationis legisque evangelicae inimico. Quae virtutes, perspicuum est, aptissime inter se cohaerent, inter se adiuvant, eodemque una conspirant, ut hominem caelo natum, a rebus caducis abstrahant, evehantque propemodum ad caelestem cum Deo consuetudinem » [24].

Quoniam vero solida, sincera ac tranquilla pax nondum animis, nondum populis affulsit, ad eam plene feliciterque adipiscendam ac stabiliendam contendant omnes pie supplicantes, ita quidem ut, quemadmodum Beatissima Virgo Principem pacis [25] edidit, eadem suo patrocinio suaque tutela amico foedere coniungat homines; qui quidem tum solummodo possunt serena ea prosperitate perfrui, quam per mortalis huius vitae cursum nobis assequi datur, cum nempe non mutuis simultatibus disiungantur, non discordiis misere dilacerentur, non minacibus ac for-

---

23 Cfr. Io. X, 16.

24 Leo XIII, Enc. *Octobri mense,* d. 22 Sept., a. 1891; *Acta Leonis XIII,* XI, p. 312.

25 Cfr. Isai., IX, 6.

midolosis consiliis in adversas compellantur partes, sed, coniunctis fraterno animo dextris, sibi invicem illius pacis dent osculum, « quae sit tranquilla libertas »[26] et quae, iustitia duce, caritate altrice, ex diversis civium ordinibus, nationibus ac gentibus unam efficiat, ut oportet, concordemque familiam.

Haec flagrantissima vota Nostra, quibus, ut fore omnino confidimus, non modo Nostrorum filiorum vota respondebunt libenter, sed eorum etiam omnium, quibus christianae humanitatis studium civilisque cultus incrementum cordi sint, velit Divinus Redemptor, auspice ac deprecatrice benignissima Matre sua, quam latissime felicissimeque ad effectum deducere.

Caelestium interea munerum conciliatrix esto, ac paternae voluntatis Nostrae testis Apostolica Benedictio, quam vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, itemque clero populoque vestro peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die VIII mensis Septembris, in Festo Nativitatis Beatae Virginis Mariae, anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

PIUS PP. XII

14 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXV [30 nov. 1953] p. 757)

ORATIO

AD B. VIRGINEM MARIAM SINE LABE ORIGINALI CONCEPTAM PER ANNUM MARIANUM RECITANDA

Rapiti dal fulgore della vostra celeste bellezza e sospinti dalle angosce del secolo, ci gettiamo tra le vostre

---

[26] CIC., *Phil.* II, 44.

braccia, o Immacolata Madre di Gesù e Madre nostra, Maria, fiduciosi di trovare nel vostro Cuore amantissimo l'appagamento delle nostre fervide aspirazioni e il porto sicuro fra le tempeste che da ogni parte ci stringono.

Benchè avviliti dalle colpe e sopraffatti da infinite miserie, ammiriamo e cantiamo l'impareggiabile ricchezza di eccelsi doni, di cui Iddio vi ha ricolmata al di sopra di ogni altra creatura, dal primo istante del vostro concepimento fino al giorno, in cui, Assunta in cielo, vi ha incoronata Regina dell'universo.

O Fonte limpida di fede, irrorate con le eterne verità le nostre menti! O Giglio fragrante di ogni santità, avvincete i nostri cuori col vostro celestiale profumo! O Trionfatrice del male e della morte, ispirateci profondo orrore al peccato, che rende l'anima detestabile a Dio e schiava dell'inferno!

Ascoltate, o prediletta di Dio, l'ardente grido che da ogni cuore fedele s'innalza il quest'Anno a voi dedicato. Chinatevi sulle doloranti nostre piaghe. Mutate le menti ai malvagi, asciugate le lagrime degli afflitti e degli oppressi, confortate i poveri e gli umili, spegnete gli odi, addolcite gli aspri costumi, custodite il fiore della purezza nei giovani, proteggete la Chiesa santa, fate che gli uomini tutti sentano il fascino della cristiana bontà. Nel vostro nome, che risuona nei cieli armonia, essi si ravvisino fratelli, e le nazioni membri di una sola famiglia, su cui risplenda il sole di una universale e sincera pace.

Accogliete, o Madre dolcissima, le umili nostre suppliche e otteneteci soprattutto che possiamo un giorno ripetere dinanzi al vostro trono, beati con voi, l'inno che si leva oggi sulla terra intorno ai vostri altari: Tutta bella sei, o Maria! Tu gloria, Tu letizia, Tu onore del nostro popolo! Così sia.

Festa della Presentazione di Maria Santissima: 21 Novembre 1953.

PIUS PP. XII

Il Santo Padre Pio XII si è degnato concedere ai fedeli che reciteranno la Preghiera dell'Anno Mariano le seguenti Indulgenze: I *Indulgenza parziale* di cinque anni, da lucrarsi almeno con il cuore contrito ogni volta che sarà devotamente recitata; II *Indulgenza plenaria,* alle solite condizioni, da lucrarsi nelle due feste dell'Immacolta Concezione ed in tutti i Sabati dell'Anno Mariano.

15 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* xxxxv [30 iun. 1953] p. 399)

ALLOCUTIONES

I

Sociis Sodalitatis Scriptorum ephemeridum exterarum Nationum in Urbe degentibus *.

Nous nous réjouissons, Messieurs, de pouvoir finalement vous recevoir en cette Maison, vous qui représentez plus de trente Etats, et d'exaucer ainsi un souhait, que les correspondants de la Presse étrangère à Rome Nous avaient exprimé déjà au commencement de Notre Pontificat. Ils désiraient alors venir vers Nous à l'occasion du 9e Congrès de leur Association. Les événements tragiques de la deuxième guerre mondiale firent échouer ce plan. Votre présence ici Nous en est d'autant plus agréable après un intervalle de presque quatorze ans, pendant lesquels, si la face de la terre ne s'est pas, hélas!, renouvelée dans le sens du texte connu de l'Ecriture, elle s'est du moins considérablement modifiée.

Quand vous foulez le sol de l'Etat de la Cité du Vatican, vous n'entrez pas seulement sur le territoire d'une autre souveraineté; toute l'atmosphère spirituelle, que vous respirez ici, se veut différente de celle des centres de la vie

* Habita die 12 Maii mensis a. 1953.

politique. Beaucoup de membres de votre profession, habitués à penser selon les seules catégories politiques, ont déjà éprouvé probablement de la peine à la comprendre, lorsque, transférés à Rome, ils ont dû exercer aussi dans le monde du Vatican leur rôle d'information.

Le Saint-Siège est l'autorité suprême de l'Eglise catholique, et donc d'une société religieuse, dont les buts sont situés dans le surnaturel et dans l'au-delà. Bien sûr, l'Eglise vit dans le monde. Ses fils et ses filles, soit 400 milions de catholiques, appartiennent chacun à un peuple et à un Etat déterminés : c'est toujours une des tâches essentielles du du Saint-Siège de veiller à ce que, dans le monde entier, règnent entre l'Eglise et l'Etat des relations normales et si possible amicales, afin que les catholiques puissent vivre tranquillement et pacifiquement de leur foi, et que l'Eglise puisse en même temps fournir à l'Etat l'appui solide qu'elle constitue partout où elle peut librement déployer ses forces.

Les événements politiques influent par conséquent aussi sur l'Eglise et le Saint-Siège, mais seulement par contre-coup, dans la mesure où, souvent d'une manière soudaine et radicale, ils altèrent la situation de l'Eglise dans un pays. Une puissance politique cependant, c'est-à-dire une puissance qui poursuit des buts politiques avec des moyens politiques, l'Eglise ne veut pas l'être et elle ne l'est pas. Elle est une puissance religieuse et morale, dont la compétence s'étend aussi loin que le domaine religieux et moral, et celui-ci à son tour embrasse l'activité libre et responsable de l'homme considéré en lui-même ou dans la société.

Vis-à-vis des puissances politiques, l'Eglise reste neutre, ou mieux encore, puisque ce terme est trop passif et trop ambigu, impartiale et indépendante. Le Saint-Siège ne se laisse prendre en remorque par aucune puissance ou groupe de puissance politiques, même si on affirme mille fois le contraire. Il peut parfois se faire, par suite des cir-

costances, que la route du Saint-Siège rencontre celle d'une puissance politique. Mais en ce qui concerne le point de départ et le but de leur chemin, l'Eglise et son Chef suprême suivent uniquement leur loi propre, la mission qu'ils ont héritée de leur divin Fondateur et qui consiste à conquérir à Dieu tous les hommes sans distinction et à les Lui amener, quelle que soit leur nationalité.

Assurément, la mission de l'Eglise lui donne, ainsi qu'à son gouvernement suprême, des valeurs, des normes, des buts communs, que les oppositions et les luttes terrestres ne détruiront ni ne compromettront, des réserves de forces spirituelles et morales, nourries de la forte sève de la foi chrétienne, et dont la vigueur et la fonction universelle sont reconnues, sinon de tous, du moins de beaucoup d'hommes. Toujours, elles sont prêtes à intervenir, désintéressées et bienfaisantes, là où le requiert le bien de l'humanité. Voilà l'atmosphère qui caractérise cette demeure et cette Cité.

Ne vous laissez pas égarer par l'aspect humain, que vous pouvez rencontrer dans l'Eglise. La loi fondamentale, que Nous avons brièvement exposée, détermine les actes, qui engagent le gouvernement suprême de l'Eglise; une tradition constamment mise à l'épreuve et dotée d'une riche expérience lui montre le chemin et lui enseigne à garder envers tous son impartialité et son indépendance, même au milieu de la plus violente agitation des événements politiques.

A vous-même, Messieurs, Nous adressons Nos plus vifs souhaits pour l'exercice de votre profession magnifique, mais difficile et lourde de responsabilités.

Pouvons-Nous toucher brièvement deux difficultés de votre métier? La première ressort déja du principe immuable, qui régit la presse: rendre les derniers événements accessibles au public le plus large et cela de la manière la plus rapide et la plus régulière. Maintenant, les progrès de la technique ont réduit au minimum la

distance entre le fait et sa pubblication et, dans ce minimum de temps, vous devez transmettre un compte-rendu fidèle, qui présente clairement et sous une forme expressive tous les éléments essentiels. Vraiment, c'est une exigence presque exorbitante. Vos prédécesseurs, qui vivaient avant la radio, le télégraphe et le téléphone avaient une tâche bien plus facile que vous aujourd'hui.

La deuxième difficulté est beaucoup plus sérieuse. La qualité principale du journaliste reste toujours un amour incorruptible de la vérité. Cependant combien de tentations essaient de vous en écarter: tentations venant des intérêts de parti et peu-être de la presse elle-même pour le compte de laquelle vous travaillez. Comme il peut être difficile d'y résister et de respecter les limites que la véracité interdit absolument de franchir! Sans oublier non plus que la « conspiration du silence » peut aussi offenser gravement la vérité et la justice. Ensuite, tentations de la part de l'opinion publique, ou plus exactement des opinions du public, que le journaliste ne peut suivre sans réserves, lui qui précisément doit les ajuster à la vérité et au droit, et donc les purifier et les guider.

Vous savez par votre propre expérience quotidienne comme il est souvent malaisé d'assurer à la pure vérité, dans le champ de l'opinion publique, ne fût-ce qu'une partie de cette considération sur laquelle peuvent fréquemment compter le mensonge et les demi-vérités, quand elles étonnent et séduisent. Jean de la Fontaine n'a-t-il pas exprimé une observation semblable dans les vers bien connus: « L'homme est de glace aux vérités; il est de feu pour les mensonges »? [1]. Comparaison qui renferme plus qu'une parcelle de vrai. Mais s'il existe en ce bas monde un *tempus belli*: temps pour la guerre, et un *tempus pacis*: temps pour la paix, un *tempus loquendi*: temps pour parler, et un *tempus tacendi*: temps

---

[1] Fables, l. IX, 6.

pous se taire, il n'y a pas de *tempus veri*: temps pour la vérité, et *tempus falsi,* temps pour l'erreur. Quand il s'agit des relations entre les nations et les Etats, l'éducation de l'opinion publique à regarder les choses comme elles sont, à considérer la vérité sans passion, dans le calme et la dignité, est une des conditions essentielles à l'aplanissement des oppositions, au rapprochement et à la paix.

Chacun de vous entend servir son pays. Mais servez-le avec la persuasion que ses bonnes relations avec les autres Etats, la compréhension de leur caractère et le respect de leurs droits appartiennent aussi au *bonum commune* de son propre peuple, et qu'ils préparent et consolident la paix plus efficacement que beaucoup d'autres moyens. La guerre et l'après-guerre — malgré leurs horreurs et leurs misères — ont eu cela de bon qu'elles ont rendu les hommes beaucoup plus sensibles à ce fait.

Nous avons parlé de la paix. L'après-guerre a fait grand usage de ce mot; elle en a aussi mésusé. Nous croyons pouvoir Nous rendre ce témoignage que, dans Nos messages, Nous avons donné à la paix, telle que le monde en a réellement besoin, un sens net et réaliste. Pour l'instant, Nous ne pouvons qu'exprimer l'espoir — s'il Nous est possible de hasarder ce mot — de voir s'établir entre les puissances un dialogue ouvert et loyal. Sans assurer encore la paix, c'en est au moins la première et irremplaçable condition, à défaut de laquelle on ne saurait faire un pas vers elle.

Daigne le Seigneur, qui donne et aime la paix — *auctor pacis et amator* — comme dit l'Eglise, vous concéder à tous la lumière, l'énergie et la constance, pour devenir chaque jour de plus vaillants hérauts de la vérité, de défenseurs intrépides du droit, de sages pionniers d'une vraie paix. Voila ce que Nous vous souhaitons à vous et à vos collègues, pour l'heure présente où l'umanité oscille entre la crainte et l'attente anxieuse; et tandis

que Nous invoquons la protection du Très Haut sur les peuples et les nations que vous représentez, Nous implorons les bénédictions du Seigneur sur vous sont chers et sur toutes les personnes qui vous sont attachées d'ésprit et de coeur.

16 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* xxxxv [30 iun. 1953] p. 402)

II

Adscriptis Sodalitati catholicae ex Operariis Italicis, ob commemorationem Litterarum Encyclicarum « Rerum novarum » coadunatis *.

Coloro i quali stimano che il Cristianesimo sia causa di tedio e di tristezza, dovrebbero essere presenti ad una delle tante Udienze, che si sono andate moltiplicando in questi ultimi tempi, fino a raggiungere quasi il ritmo dell'Anno Santo. Noi stessi torniamo sempre con letizia in mezzo a queste moltitudini devote, che Ci chiedono una parola di conforto e di benezione.

Ed eccoCi oggi a dare il benvenuto a migliaia di lavoratori prevalentemente romani, a Noi perciò doppiamente cari, persuasi tutti che, accogliendoli in questa insigne Basilica, Noi avremmo manifestato anche a loro tenero affetto, simile a quello che nutriva e nutre per essi Gesù, il divino Lavoratore di Nazareth.

Diletti figli! Oggi la Chiesa commemora l'Ascensione di Cristo al cielo. — Dal giorno di Pasqua la sacra Liturgia è stata tutto un prorompere di melodie e di armonie festose, in cui l'*Alleluja* era sempre la nota dominante, ripetuta da ogni anima, da ogni coro di anime.

Se però oggi continuano i canti di gioia e di gloria,

* Habita die 14 Maii mensis a. 1953.

non manca tuttavia qualche nota di rattenuta mestizia. Gesù lascia i discepoli e sale al cielo; manderà lo Spirito Santo: intanto Egli non è più in mezzo a loro vivo e visibile. Ma mentre gli Apostoli guardano Gesù che si eleva e scompare dietro la nube, ecco apparire due angeli in bianche vesti, che dicono loro: « O uomini di Galilea, che cosa state guardando in cielo? » [1]. Essi, cioè, invitano gli Apostoli a non tenere lo sguardo fisso inutilmente in alto; li aspetta ora la terra, dove è il cammino che li porterà alla mèta, dove è la vigna che dovranno coltivare. dove è il campo delle loro pacifiche lotte. Un giorno, sì, vedranno Gesù tornare dal cielo con grande potenza e maestà [2].

Ma il suono di queste parole ricorda un'altra domanda, che avete chi sa quante volte udita in senso completamente opposto: « O uomini, perchè state a guardare il cielo? Il paradiso non c'è; sarebbe quindi vano sperare di raggiungerlo. Non vi è Dio; l'anima non è immortale. Guardate dunque piuttosto la terra coi suoi problemi; studiatevi di trovare qui la loro soluzione. O uomini, non guardate il cielo, e se qualcuno vuole il paradiso, procuri di formarselo quaggiù, con ogni mezzo ».

me est déjà, au premier moment et au stade initial de son existence, d'une architecture étonnante et d'une spécificité des structures incroyablement riche. Elle est pleine de dynamisme téléologique gouverné par les gènes sont le fondement de tant de bonheur ou de malheur, de ressources vitales ou de langueur, de force ou de démission. Cette considération explique que les recherches sur l'hérédité rencontrent toujours plus d'intérêt et de points d'application. On essaie de garder ce qui est bon et valable, de l'affermir, de le promouvoir et de le perfectionner. Il faut prévenir la détérioration des facteurs héréditaires; autant que possible, il faut remédier aux déficiences déjà manifestées et prendre garde que les facteurs héréditaires de moindre valeur s'abîment encore plus par la fusion avec ceux d'un partenaire homozygote. Par contre, il faut veiller à ce que les caractères positifs de pleine valeur s'unissent avec un patrimoine héréditaire semblable.

Telles sont les tâches que se proposent la génétique et l'eugénique. De là, leur spécialisation extraordinaire jusqu'à la génétique des groupes sanguins, l'étude des jumeaux et la génétique des jumeaux.

Voilà ce que voulions emprunter à votre branche sans vouloir exprimer Notre opinion. L'appréciation des questions purement spécifiques est laissée à la compétence de votre science. Notre exposé avait pour but de fixer une base commune, sur laquelle Nous pourrions développer les considérations de principe que Nous voudrions ajouter maintenant.

II

Les exigences fondamentales de la connaissance scientifique sont la vérité et la véracité.

La vérité doit s'entendre comme l'accord du jugement de l'homme avec la réalité de l'être et de l'action des choses elles-mêmes, par opposition avec les représentations et

les idées que l'esprit y introduit. Il régnait et il règne encore aujourd'hui une conception, selon laquelle le message que la réalité objective donne d'elle-même pénètre dans l'esprit comme à travers une lentille et, en cours de route, se modifie qualitativement et quantitativement. On parle, en ce cas, de pensée dynamique, qui imprime sa forme à l'objet, par la pensée statique qui le reflète simplement, à moins que, par principe, on ne prétende que la première est le seul type possible de connaissance humaine. La vérité serait alors en fin de compte l'accord de la pensée personnelle avec l'opinion publique ou scientifique du moment.

La pensée de tous les temps, basée sur la saine raison, et la pensée chrétienne en particulier sont conscientes de devoir maintenir le principe essentiel : la vérité est l'accord du jugement avec l'être des choses déterminé en lui-même — sans devoir nier pour cela ce qui dans la conception de la vérité citée plus haut et erronée dans son ensemble est en partie justifiable. Nous avons aussi touché cette question dans Notre Encyclique « Humani generis » du 12 août 1950 et insisté alors sur un point que Nous croyons devoir répéter ici : la nécessité de garder intactes les grandes lois ontologiques, parce que, sans elles, il devient impossible de comprendre la réalité : Nous pensons surtout aux principes de contradiction, de raison suffisante, de causalité et de finalité.

Vos écrits Nous permettent de supposer que vous êtes d'accord avec Notre conception de la vérité. Vous voulez dans vos recherches atteindre la vérité et vous baser sur elle pour tirer vos conclusions et bâtir vos systèmes. Vous admettez donc qu'il y a des faits objectifs, et que la science a la possibilité et l'intention de comprendre ces faits, non d'élaborer des phantasmes purement subjectifs.

La distinction entre les faits certains et leur interprétation ou leur systématisation est aussi fondamentale pour le chercheur que la définition de la vérité. Le fait est

toujours vrai, parce qu'il ne peut y avoir d'erreur ontologique. Mais in n'en va pas ainsi sans plus dans son élaboration scientifique. Ici, on court le danger de formuler des conclusions prématurées et de commettre des erreurs de jugement.

Tout cela impose le respect des faits et de l'ensemble des faits, la prudence dans l'énonciation de propositions scientifiques, la sobriété du jugement scientifique, la modestie si appréciée chez le savant et qu'inspire la conscience des limites du savoir humain; cela favorise l'ouverture d'esprit et la docilité du véritable homme de science bien éloigné de tenir à ses propres idées, quand elles s'avèrent insuffisamment fondées et, finalement, cela conduit à examiner sans parti-pris les opinions d'autrui et à les juger.

Quand on possède cette dispostion d'âme, au respect de la vérité s'unit tout naturellement la véracité, c'est-à-dire l'accord entre les convictions personnelles et les positions scientifiques exprimées par la parole et l'écrit.

L'exigence de vérité et de véracité appelle encore une observation à propos de la connaissance scientifique : il est rare qu'une seule science s'occupe d'un objet déterminé. Elles sont souvent plusieurs ,qui le traitent chacune sous un aspect différent. Si leur enquête est correcte, la contradiction entre leurs résultats est impossible, car cela supposerait une contradiction dans la réalité ontologique. Or la réalité ne peut se contredire.

Si malgré tout il surgit des contradictions, elles ne peuvent résulter que d'une observation fautive ou de l'interprétation erronée d'une observation exacte, ou encore du fait que le chercheur, dépassant les limites de sa spécialité, s'est avancé sur un terrain qu'il ne connaît pas. Nous pensons que cette indication aussi s'impose avec évidence à toutes les sciences.

Si donc la théorie de l'hérédité, appuyée sur la connaissance de la structure du noyau cellulaire — et récemment aussi de la structure du cytoplasme — et des lois im-

manentes de la transmission héréditaire, est capable de dire pourquoi un homme présente des caractères déterminés, elle n'est pas encore en état pour autant d'expliquer *toute* la vie de cet homme. Elle a besoin d'être complétée par d'autres sciences au moment où se pose la question de l'existence et de l'origine du principe spirituel de la vie, l'âme humaine, essentiellement indépendante de la matière. Les conclusions de la génétique sur la cellule initiale et le développement du corps humain par division cellulaire normale sous la direction des gènes, ce qu'elle affirme sur les modifications, les mutations, la collaboration du patrimoine et du milieu ne suffit pas à expliquer l'unité de la nature de l'homme, sa connaissance intelectuelle et sa libre détermination. La génétique comme telle ne peut rien dire sur le fait qu'une âme spirituelle s'unit, dans l'unité d'une nature humaine, à un substrat organique qui jouit d'une autonomie relative. La psychologie et la métaphysique ou ontologie doivent intervenir ici non pour s'opposer à la génétique, mais en accord avec elle, en reprenant mais aussi en complétant substantiellement ses données. Par contre, la philosophie ne peut pas non plus négliger la génétique, lorsque, dans l'analyse des activités psychiques, elle entend rester en contact avec la réalité. On ne peut vouloir déduire tout le psychisme, pour autant qu'il est conditionné par le corps, de l'« anima rationalis » comme « forma corporis » et affirmer que la « materia prima » amorphe reçoit toutes ses déterminations de l'âme spirituelle créée immédiatement par Dieu, et rien des gènes contenus dans le noyau cellulaire.

La multiplicité et la diversité de sources de connaissance appellent encore l'attention sur un fait d'une importance décisive, la distinction entre le savoir acquis par l'étude personnelle et celui que l'on doit au labeur d'autrui, donc à son témoignage. Quand on est sûr que ce témoignage est digne de foi, il constitue une source

normale de connaissance, dont ni la vie pratique ni la science ne peuvent se passer. Abstraction faite de la nécessité impérieuse de recourir tant et tant de fois au témoignage d'autrui, l'attitude d'âme indique plus haut chez le vrai savant l'amène à constater que, sur son terrain, le spécialiste éprouvé entretient toujours avec la vérité objective une familiarité plus étroite que n'importe quel profane.

Nous ne pouvons Nous empêcher d'appliquer au témoignage de Dieu, ce que Nous venons de dire du témoignage humain. La Révélation, et donc le témoignage formel et explicite du Créateur, touche aussi certains domaines des sciences naturelles et certaines thèses de votre spécialité, comme la théorie de la descendance. Or, le Créateur satisfait au suprême degré l'exigence de vérité et de véracité. Jugez donc vous-mêmes s'il est conforme à l'objectivité scientifique de décliner ce témoignage, alors que sa réalité et son contenu offrent toutes les garanties.

En ce qui concerne la théorie de la descendance, la question essentielle est ici celle de *l'origine de l'organisme physique de l'homme* (non de son âme spirituelle). Si vos sciences s'occupent avec diligence de ce problème, la théologie, science qui a pour objet la Révélation, lui a accordé aussi une attention très vive. Nous-même, par deux fois, en 1941 déjà dans une allocution à Notre Académie des Sciences [1] et en 1950 dans l'Encyclique citée tantôt [2], Nous avons invité à pousser les recherches dans l'espoir d'enregistrer peut-être un jour des résultats assurés, car, jusqu'à présent, rien de définitif n'a été obtenu. Nous avons exhorté à traiter ces questions avec la prudence et la maturité de jugement qu'exige leur grande importance. Des ouvrages de votre spécialité, Nous

---

[1] 30 Nov. - *Acta Ap. Sedis, a.* XXXIII, 1941, p. 506.

[2] *Acta Ap. Sedis*, a. XLII, 1950, p 575 s.

avons tiré une citation où, après avoir envisagé toutes les découvertes actuelles et l'opinion des spécialistes à leur sujet, on incitait à la même sobriété, et où on réservait un jugement définitif.

Si vous réfléchissez à ce que Nous avons dit de la recherche et de la connaissance scientifique, il devrait être entendu que ni du côté de la raison, ni du côté de la pensée orientée dans le sens chrétien, on ne met des barrières à la recherche, à la connaissance, à l'affirmation de la vérité. Il y a des barrières, mais elles ne servent pas à emprisonner la vérité. Elles ont pour but d'empêcher que des hypothèses non prouvées soient prises pour des faits établis, que l'on oublie la nécessité de compléter une source de connaissance par une autre et qu'on interprète erronément l'échelle des valeurs et le degré de certitude d'une source de connaissance. C'est pour éviter ces causes d'erreur qu'il y a des barrières; mais il n'y en a pas pour la vérité.

La génétique ne possède pas seulement une importance théorique; elle est aussi éminemment pratique. Elle se propose de contribuer au bien des individus et à celui de la communauté, au bien commun. Elle veut s'acquitter de cette tâche principalement sur deux terrains, celui de la physiologie génétique et celui de la pathologie génétique.

C'est un fait d'expérience que les dispositions naturelles, bonnes ou défectueuses, influencent très fortement l'éducation de l'homme et sa conduite future. Sans doute le corps avec ses aptitudes et ses organes n'est que l'instrument, tandis que l'âme est l'artiste qui joue de cet instrument; sans doute d'habilité de l'artiste peut compenser maint défaut de l'instrument; mais on joue mieux et plus facilement sur un instrument parfait; et lorsque sa qualité descend en dessous d'une limite déterminée, il devient absolument impossible de l'utiliser — sans tenir compte du fait que, en dehors de toute com-

paraison, le corps et l'âme, la matière et l'esprit constituent dans l'homme une unité substantielle.

Mais cependant, pour en rester à cette comparaison, la génétique enseigne à mieux comprendre l'instrument dans sa structure et ses variations et à le mettre en état de mieux jouer. En observant la lignée d'un homme, on peut, à condition de rester dans certaines limites, établir le diagnostic des dispositions qu'il a reçues dans son patrimoine et le pronostic des caractères hérités qui se manifesteront en bien et, ce qui est encore plus important, de ceux aussi qui trahissent une tare héréditaire.

Aussi limitée que puisse être l'influence directe sur le patrimoine héréditaire, la génétique pratique n'est pas du tout réduite au rôle de spectateur passif. La vie quotidienne déjà montre les effets extrêmement nuisibles de certaines façons d'agir des parentes dans la transmission naturelle de la vie. De tels procédés avec les intoxications et les infections qu'ils provoquent sont à prohiber autant que possible et la génétique cherche et indique les moyens d'atteindre ce but. Ses conclusions portent en particulier sur les combinaisons de patrimoines de diverses lignées: elle signale celles qu'il faut favoriser, celles que l'on peut tolérer et celles que l'on doit déconseiller au point de vue de la génétique et de l'eugénique.

La tendance fondamentale de la génétique et de l'eugénique est d'influences la transmission des facteurs héréditaires pour ce qui est bon et éliminer ce qui est nocif; cette tendance fondamentale est irréprochable au point de vue morale. Mais certaines méthodes pour atteindre le but donné et certaines mesures de protection sont moralement contestables, de même par ailleurs qu'une estime déplacée pour le fins de la génétique et de l'eugénique. Permettez-Nous de citer les déclarations d'un des plus importants généticiens actuels: dans une lettre qu'il vient de Nous adresser, il regrette que, malgré ses pro-

grès énormes, la génétique « au point de vue technique et analytique se soit empêtrée dans de multiples erreurs doctrinales, telles que le racisme, le mutationnisme appliqué a la phylogénèse pour expliquer en termes modernes l'évolutionisme darwinien, le contrôle des naissances de tous les tarés ou présumés tels par des moyens préventifs ou des pratiques abortives, l'obligation du certificat prénuptial, etc. ».

En fait, il est certaines mesures de défense génétiques et eugéniques que le bon sens moral, et la morale chrétienne surtout, doivent rejeter en principe comme en pratique.

Au nombre des mesures qui lésent la moralité, on compte le « racisme » déjà cité, la *stérilisation eugénique*. Notre prédécesseur Pie XI et Nous-même avons été amenés à déclarer contraire à la loi naturelle non seulement la stérilisation eugénique, mais toute stérilisation directe d'un innocent, définitive ou temporaire, de l'homme ou de la femme. Notre opposition à la stérilisation était et reste ferme, car, malgré la fin du « racisme », on n'a cessé de désirer et de chercher à supprimer par la stérilisation une descendance chargée de maladies héréditaires.

Un autre chemin conduit au même but: l'*interdiction du mariage* ou son impossibilité physique per l'internement de ceux dont l'hérédité est tarée sont également à rejeter. L'objectif poursuivi est bon en soi, mais le moyen de l'obtenir lèse le droit personnel à contracter et à user du mariage. Quand le porteur d'une tare héréditaire n'est pas apte à se conduire humainement, ni par conséquent à contracter mariage, ou lorsque plus tard il est devenu incapable de revendiquer par un acte libre le droit acquis par un mariage valide, on peut l'empêcher d'une manière licite de procréer une nouvelle vie. Hors de ces cas, l'interdiction du mariage et des rapports matrimoniaux pour des motifs biologiques, géné-

tiques et eugéniques est une injustice, quel que soit celui qui porte cette interdiction, un particulier ou les pouvoirs publics.

Certainement, on a raison, et dans la plupart des cas le devoir, de faire remarquer à ceux qui sont certainement porteurs d'une hérédité très chargée, quel fardeau ils sont sur le point de s'imposer à eux-mêmes, au conjoint et à leur descendance; ce fardeau deviendra peut-être intolérable. Mais déconseiller n'est pas interdire. Il peut y avoir d'autres motifs, surtout moraux et d'ordre personnel, qui l'emportent tellement qu'ils autorisent à contracter et à user du mariage même dans les circonstances indiquées.

Pour justifier la stérilisation eugénique directe ou l'alternative de l'internement, on prétend que le droit au mariage et aux actes qu'il implique n'est pas atteint par la stérilisation, même prénuptiale, totale et certainement définitive. Cet essai de justification est condamné à l'échec. Si, pour un esprit sensé, le fait en question est douteux, l'inaptitude au mariage est elle aussi douteuse et c'est le moment d'appliquer le principe que le droit de se marier persiste aussi longtemps que le contraire n'est pas pouvé avec certitude. Aussi dans ce cas, le mariage doit être permis; mais la question de sa validité objective reste ouverte. Si par contre il ne subsiste aucun doute sur le fait susdit de la stérilisation, il est prématuré d'affirmer que le droit au mariage n'est malgré cela pas mis en question et, en tout cas, cette assertion permet les doutes les plus fondés.

Il reste à parler des autres tentatives aberrantes pour éviter les tares héréditaires et que le texte cité appelle « moyens préventifs et pratiques abortives ». Elles n'entrent même pas en question pour l'indication eugénique, parce qu'elles sont en soi à rejeter.

Voilà, Messieurs, ce que Nous avions à vous dire. Les buts pratiques que poursuit la génétique sont no-

bles, dignes d'être reconnus et encouragés. Puisse-t-elle seulement dans l'appréciation des moyens destinés à réaliser ces buts rester toujours consciente de la différence fondamentale entre le monde végétal et animal, d'une part, et l'homme d'autre part. Là, les moyens d'améliorer les espèces et les races sont à son entière disposition. Ici par contre, dans le monde de l'homme, elle a toujours devant elle des êtres personnels, aux droits intangibles, des individus qui de leur côté sont tenus par des normes morales inflexibles, quand ils exercent leur aptitude à susciter une nouvelle vie. Ainsi, le Créateur lui-même a établi dans le domaine moral des barrières, qu'il n'appartient à aucun pouvoir humain de lever.

Puisse votre science trouver dans la moralité publique et l'ordre social un appui ferme quand il s'agit pour la vie matrimoniale des hommes sains et normaux, et pour la vie matrimoniale en général, de pouvoir se développer facilement et librement d'après les lois que le Créateur lui-même a écrites dans le coeur de l'homme et qu'Il a confirmées par sa Révélation. Peut-être trouverez-vous ici le secours le plus précieux pour vos efforts, auxquels Nous souhaitons et sur lesquels Nous appelos les plus abondantes bénédictions de Dieu.

20 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

(*AAS.* xxxxv [30 iun. 1953] p. 426)

Quaesitum est ab hac Suprema S. Congregatione S. Officii:

1. Utrum Ordinarii locorum, ad normam n. VI Constitutionis Apostolicae « *Christus Dominus* », permittere valeant Missae vespertinae celebrationem in favorem christifidelium qui navibus addicuntur, maritimo itinere perdurante; et quatenus affirmative:

2. Quinam sit Ordinarius loci competens in casu.

E.mi ac Rev.mi Patres huius Supremae S. Congregationis, re mature perpensa, in Plenario Coetu feriae IV, habito die 25 Martii 1953, respondendum decreverunt:

Ad. 1. *Affirmative.*

Ad 2. Competens est ad praedictam facultatem elargiendam Ordinarius loci, in cuius territorio est portus, in quo navis habitualiter consistit.

Ss.mus autem D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XII, in Audientia E.mo Cardinali Pro-Secretario Sancti Officii die 5 Maii 1953 concessa, hoc E.morum Patrum Decretum adprobavit atque promulgari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 31 Maii 1953.

MARIUS CROVINI, *Notarius*

21 - Sacra Congregatio Consistorialis

(*AAS.* xxxxv [8 oct. 1953] p. 618)

DECLARATIO

Cum nuper in E.mum P. D. Stephanum S. R. E. Cardinalem Wyszyński, Archiepiscopum Gnesnensem et Varsaviensem, quidam violentas manus sacrilege iniicere et Eiusdem exercitium iurisdictionis ecclesiasticae impedire ausi fuerint, Sacra Congregatio Consistorialis eos omnes qui memorata delicta patraverunt, ad normam can. 2334 n. 2 et 2343, § 2 Codicis Iuris Canonici, in excommunicationem Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatam incurrisse atque ipso iure infames esse declarat.

Datum Romae, die 30 mensis Septembris anni 1953.

✠ Fr. A. I. Card. PIAZZA,
Episcopus Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

22 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

(*AAS.* xxxxv [30 iun. 1953] p. 430)

ORATIO AD MATREM ADMIRABILEM

Ave Maria, gratia plena, lux fulgida, in qua tres divinae Personae relucent. Nomen tuum, o Maria, vulneribus nostris est balsamum effusum, nobisque peccatoribus auxilium quod semper suspiramus. Dominus tecum, sicut tu, o Maria, nobiscum es, ut filios illumines, dirigas eosque consoleris qui misere peregrinantur in hac lacrymarum valle, in te oculos intendentes, o nostra propitia stella. Benedicta tu in mulieribus, quia Dominus te elegit, ut sis Mater incarnati Verbi, nunquam permittens ut labe peccati pulchritudo tua suavissima maculetur. Benedictus fructus ventris tui, Iesus, quia per te nobis datus est unicus Salvator, qui a morte nos redemit nobisque caelorum portam iterum aperit. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis, qui in terris nunc pugnam sustinemus. Esto nobis semper refugium, ut in mortis benedicta hora suavem tuam faciem in splendore aeternitatis spectare valeamus. Amen.

Die 12 Maii 1953

Ss.mus S. N. Pius div. Prov. Pp. XII, in Audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, benigne elargiri dignatus est Indulgentias quae sequuntur: *partialem trecentorum dierum,* a christifidelibus saltem corde contrito acquirendam quoties supra relatam orationem devota mente recitaverint; *plenariam,* suetis conditionibus a fidelibus lucrandam, si quotidie per integrum mensem eamdem recitationem pia mente persolverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

N. Card. Canali, *Paenitentiarius Maior*

L. ✠ S. S. Luzio, *Regens*

23 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

(*AAS.* xxxxv [15 nov. 1953] p. 696)

DECRETUM

FAVORES SPIRITUALES CONCEDUNTUR
OCCASIONE ANNI MARIANI

Ss.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XII, ad uberiores fructus spirituales ex Mariani Anni celebratione, per Litt. Enc. *Fulgens corona gloriae,* d. d. 8 Sept. a. 1953, indicti, assequendos, primo exeunte saeculo a definito Dogmate Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, in Audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 10 vertentis mensis data, sequentes dignatus est concedere favores spirituales, per integrum Marianum Annum valituros: I. Plenariam Indulgentiam ab omnibus christifidelibus toties lucrandam quoties ipsi, peccatorum venia obtenta et Eucharistica Mensa refecti, quodlibet templum in honorem Beatae Mariae Virginis extructum, vel sacellum, si de locis Missionum agatur, devote visitaverint et ad Summi Pontifiicis mentem preces fuderint die, quo Marianus Annus initium capit itemque quo clauditur, nempe die octava mensis decembris anni 1953, et die octava eiusdem mensis anni 1954; pariterque in festis Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Septem Dolorum et Assumptionis Beatae Mariae Virginis. II. Item christifideles, praefatis adimpletis conditionibus, Indulgentiam plenariam consequi valent singulis Anni Mariani sabbatis et quotities peregrinationem ad eadem templa turmatim instituerint. III. Iidem christifideles qui, uti supra dispositi, alicui sacrae functioni in honorem Beatae Mariae Virginis celebrandae devote interfuerint, Indulgentiam plenariam pariter lucrari possunt; si vero saltem corde contrito hoc egerint, Indulgentia decem annorum

ipsis conceditur. IV. Singulis locorum Episcopis facultas facta est Papalem Benedictionem cum plenaria adnexa Indulgentia impertiendi diebus quibus idem Annus inchoatur ac clauditur inter sacra solemnia pontificali ritu peracta. V. Omnia Altaria, Beatae Mariae Virgini dicata, erunt privilegiata in favorem animae alicuius christifidelis in Dei gratia vita functi, in cuius suffragium ibi Missa a quocumque Sacerdote celebrabitur. VI. Ubi vero peculiare Sanctuarium habetur, in quo Deipara Virgo Maria singularissima pietate colitur, et ad quod peregrinantium mutitudines e dissitis etiam locis pie se conferre solent, in eo christifideles, praeter omnes recensitas gratias spirituales, lucrari possunt Indulgentiam plenariam non modo singulis sabbatis, sed etiam ceteris Anni Mariani diebus, dummodo rite confessi ac sacris Epulis refecti, Sanctuarium illud devote visitaverint et ad mentem Summi Pontificis preces fuderint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Paenitentiariae Apostolicae, die 11 mensis Novembris 1953.

N. Card. Canali, *Paenitentiarius Maior*

L. ✠ S.

I. Rossi, *a Secretis*

Annotationes

Spirituales favores a Summo Pontifice occasione Anni Mariani benigne concessi per Decretum S. Paenitentiariae diei 11 nov. 1953, supra relatum, quattuor respicit, scil. indulgentias plenarias, indulgentiam partialem decem annorum, facultatem impertiendi benedictionem papalem cum adnexa plenaria indulgentia, altare privilegiatum.

Pauca de singulis.

1. Indulgentia plenaria, de qua sub n. I, acquiri potest *toties quoties*, ideoque non semel tantum aut bis terve, sed decies et ultra, praescriptis conditionibus adamussim servatis, perinde ac si ageretur de indulgentia *Portiunculae* aliisve eidem acquiparatis.

Conditiones requisitae ad plenariam indulgentiam lucrandam sub n. I indicatam, sunt hac: *a*) confessio seu rectius, in casu, « peccatorum venia obtenta »; *b*) Communio; *c*) visitatio templi aut, pro locis Missionum, sacelli; *d*) et quidem visitatio templi aut sacelli in honorem B. M. Virginis extructi; *e*) preces; *f*) dies assignata.

a) *Confessio seu rectius, in casu, « peccatum venia obtenta »*. Status gratiae ad lucrandas indulgentias ex ipsa rei natura requiritur (cfr. can. 911, 925, § 1). Porro status gratiae, post peccata mortalia admissa, obtineri potest sive per sacramentalem confessionem sive per contritionem perfectam.

Si confessio ad lucrandam indulgentiam *expresse* non praecipiatur, necessaria non est, dummodo fidelis sit in statu gratiae aut actum perfectae contritionis eliciat. Naviter attendatur discrimen inter n. I et n. VI Decreti S. Paenitentiariae. In n. I dicitur: « *peccatorum venia obtenta* »; in n. VI statuitur: « dummodo *rite confessi* ... ». Igitur nulla fit expressa mentio in illo de confessione; aliter in isto. Practice, tamen, fidelibus suadendum ut sacramentalem confessionem semper praemittant.

b) *Communio*. Haec fieri potest etiam in pervigilio diei cui adnexa est indulgentia, et per totam eius octavam. Valet sane regula generalis de qua in can. 931, § 1.

Una eademque Communio sufficit ad lucrandas plures indulgentias pro eodem die concessas, quarum singulae Communionem requirunt, dummodo cetera opera toties peragantur, quot sunt indulgentiae quas eo die quis lucraturus est (can. 933; S. C. Indulg. 29 maii 1841; *Decreta auth.* n. 291).

Si ad lucrandam indulgentiam visitatio determinatae ecclesiae praescribitur, necesse non est ut ibidem fiat Communio; quae si in illa ecclesia suscipitur, opus non est ut *alia* insuper fiat visitatio ecclesiae, dummodo servetur tempus pro lucranda indulgentia praefinitum et preces iniunctae recitantur.

Communio *paschalis* sufficit ad omnes indulgentias lucrandas, quae Communionem postulant (S. C. Indulg. 10 maii 1844; *Decreta auth.* n. 327).

c) *Visitatio templi aut, pro locis Missionum, sacelli.* Nomine *templi* venit ecclesia proprie dicta, scil. aedes sacra divino cultui dicata cum potissimum in finem ut omnibus fidelibus usui sit ad cultum divinum publice exercendum (can. 1161).

Quae ecclesia potest esse sive cathedralis, sive collegialis, sive paroecialis aut alia quaecumque.

Oratorium *publicum* gaudet et regitur eodem iure ac ecclesia (cfr. can. 1188, § 2, n. 1, 1191).

Nomine *sacelli* venit cappella, oratorium, aedicula, quilibet locus divino cultui destinatus sive modo stabili sive non, ut locis Missionum interdum ob peculiares circumstantias accidere solet.

Visitatio fieri potest *a meridie* diei praecedentis usque *ad mediam noctem*, quae diem statutum claudit (can. 923). Ad visitationem non sufficit ingressus mere corporalis in locum sacrum: requiritur ut quis *pie ac devote* seu intentione Deum colendi ingrediatur (S. Paenit. 20 sept. 1933).

Si forte ingressus fieri nequeat, sive quia clausa est ianua, sive quia multitudo obstat, sufficit ut fidelis ad valvas pie se sistat; a fortiori satis est, ut quis fidelium multitudini se coniungat, quia tota multitudo tunc praesens in templo aut sacello censetur.

d) *Visitatio templi aut sacelli in honorem B. M. Virginis extructi.* Haec verba exprimunt conditionem es-

sentialem pro indulgentia lucranda, nempe templum aut sacellum *determinatum.* Necesse est ut illud dicatum sit Beatae Mariae Virgini, sub quocumque titulo, sive templum vel sacellum sit consecratum sive benedictum tantum. Si locus forte sit dicatus tam B. M. Virgini quam uni aliive Sancto, non ideo cessat conditio requisita. Dum e contra non sufficit quod in templo adsit altare aut sacellum Virgini dicatum. Si templum fuerit exsecratum, cessat conditio; aliter si violatum dumtaxat.

Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi etiam titulares, eorumque familiares; gaudent privilegio lucrandi indulgentias in suis sacellis, etsi praescribatur visitatio alicuius ecclesiae determinatae. Huiusmodi privilegio fruuntur etiam quaedam familiae religiosae, v. g. Societas Iesu. In casu privilegii usus applicatur.

e) *Preces.* Non praescribuntur preces *peculiares* recitandae; quaedam tamen preces ad mentem Summi Pontificis necessariae omnino sunt. Porro clausulae precandi ad mentem R. Pontificis plene satisfit per recitationem unius *Pater, Ave* et *Gloria,* relicta tamen libertate singulis fidelibus quamlibet aliam orationem recitandi iuxta pietatem ac devotionem uniuscuiusque erga Summum Pontificem (S. Paenit. 20 sept. 1933; *A.A.S.,* XXV, p. 446).

Non requiritur intentio explicita precandi ad mentem Papae; sufficit *implicita,* quae, posita intentione indulgentiam lucrari, semper adesse censetur.

f) *Dies assignata.* Expresse septem dies iudicantur, scil. dies octava decembris anni 1953, dies octava decembris anni 1954, dies festo Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Septem Dolorum et Assumptionis B. M. Virginis, intra annum 1954 decurrentes.

Tempus utile decurrit a meridie pervigilii ad mediam noctem, ut supra dictum fuit. Supputari potest sive tempus locale, verum aut medium, sive legale tam ordinarium quam extraordinarium.

2. Circa indulgentiam plenariam, de qua sub n. II Decreti, haec animadvertenda:

a) Indulgentia dicitur lucranda « *praefatis adimpletis conditionibus* ». Quae conditiones respiciunt confessionem seu obtentam peccatorum veniam, Communionem, visitationem templi vel sacelli in honorem B. M. Virginis extructi, praeces ad mentem R. Pontificis.

b) Acquiri potest indulgentia plenaria *singulis Anni Mariani sabbatis*, scil. a die octava decembris 1953 usque ad diem octavam decembris 1954, Sabbato Sancto non excluso.

c) Indulgentiam plenariam fideles lucrari valent « *quoties peregrinationem ad eadem templa turmatim instituerint* ». Singulis diebus indulgentia acquiri potest, imo etiam pluries eadem die, quia vox « *quoties* » nullam restrictionem iure admittit.

Verba *peregrinatio* et *turmatim* non significant *processionem* aut *processionaliter*, proprie loquendo, quatenus clerus et populus simul ad ecclesiam accedant ibique communem recitent orationem; sed modum dumtaxat denotat visitandi ecclesiam ex parte fidelium, quatenus non singuli vel qua tales, sed plures simul pergunt ad ecclesiam, sive clero comitante sive non, in eaque communes preces effundunt.

3. Quod indulgentias sub n. III Decreti recensitas, attendantur sequentia:

a) Indulgentia *plenaria* conceditur fidelibus universis, qui devote interfuerint alicui sacrae functioni in honorem B. M. Virginis celebrandae, suetis conditionibus, uti supra, servatis. Haec indulgentia acquiri potest etiam singulis diebus ,et quidem in quavis ecclesia vel sacello, ubi sacra functio in honorem Deiparae persolvitur. Nam *pluries* in die haec indulgentia acquiri potest? Ex generali principio de quo in can. 928, § 1, indulgentia *plenaria,* nisi aliud expresse cantum sit, acquiri

potest semel tantum in die, licet idem opus praescriptum pluries ponatur. In casu, aliter quam in praecedentibus, non dicitur « *quoties* »; ergo semel tantum in die fideles eam lucrari valent.

Functio sacra quaelibet intelligitur: Missa, publica Rosarii recitatio, sermo in honorem B. M. Virginis cum sollemni benedictione aut peculiarium precum recitatione, etc.

b) Indulgentia *decem annorum* conceditur iis fidelibus, qui devote interfuerint sacrae functioni in honorem B. M. Virginis celebrandae. Requitur et sufficit status gratiae seu cordis contritio, quin Sacra Communio et preces postulentur.

4. Sub n. IV Decreti conceditur Episcopis facultas impertiendi benedictionem papalem cum adnexa indulgentia plenaria.

a) Haec facultas tribuitur « *singulis locorum Episcopis* », seu Episcopis residentialibus, non autem mere titularibus, et quidem cuique in suo dioecesi. Utrum talis facultas concessa dicenda sit etiam Abbatibus et Praelatis *nullius*, non constat. Ex una parte videretur affirmandum, perspecto can. 215, § 2 qui ait: « Nomine Episcopi, (venit) Abbas vel Praelatus *nullius*, nisi ex natura rei vel sermonis contextu aliud constet ». Ex alia parte videtur negandum, tum attento can. 914, qui expresse distinguit inter Episcopos et ceteros Praelatos, tam quia contextus sermonis ni fallimur, postulat strictam potius interpretationem de Episcopis proprie dictis, quam latam de omnibus Praelatis.

c) Papalis benedictio dicitur imperienda « *inter sacra solemnia pontificali ritu peracta* »; quae verba exprimunt non solum Missam pontificalem ab Episcopo celebratam, sed etiam Sacrum cui ipse pontificaliter assistet itemque alias sacras functiones ritu pontificali peractas.

c) Bis impertiri potest papalis benedictio, scil. die octava decembris 1953 et die octava decembris 1954, initio

et exitu Anni Mariani. Quae facultas nequaquam aufert privilegium iure communi concessum de quo in can. 914.

5. *Altaris privilegiati concessio.* In n. V Decreti haec statuuntur:

a) Omnia altaria B. M. Virgini dicata, Anno Mariano perdurante, sunt privilegiata. Nihil interest utrum sint immobilia seu fixa, an mobilia, ad normam can. 1197, § 1, 1° et 2°. Non sufficit simplex imago vel statua B. M. Virginis, sed requiritur ut ratione tituli sit Deiparae dicatum (cfr. can. 1201, § 1).

b) Altare privilegiatum importat specialem indulgentiae plenariae favorem, quatenus sacerdos in eo Sacrum faciens plenariam indulgentiam lucrari valet pro anima illius defuncti, in cuius suffragium Missam celebrat.

c) Privilegium est locale seu adnexum ipsi altari, et competit cuilibet sacerdoti ibi celebranti. Si forte sacerdos esset excommunicatus aut suspensus vel interdictus personaliter, et nihilominus Sacrum faceret et applicaret in favorem animae alicuius defuncti, locus esset privilegio.

d) Indulgentia altaris privilegiati non potest applicari pluribus defunctis, pro quibus Missa celebratur, sed tantum in favorem animae *unius* christifidelis defuncti (S. C. Indulg. 20 febr. 1864 et 19 iun. 1880; S. Paenit. 6 iul. 1917; *A.A.S.*, IX, p. 440).

6. Sub n. VI Decreti recensetur specialis favor de plenaria indulgentia etiam *singulis* Anni Mariani *diebus* lucranda, hisce conditionibus:

a) Requiritur quod peculiare Sanctuarium habeatur, in quo B. M. V. singularissima pietate colitur, et ad quod multitudines peregrinantium etiam e dissitis locis pie se conferre solent. Huiusmodi Sanctuaria plura sunt in Italia, in Gallia, in Hispania aliisque nationibus.

b) In praefatis Sanctuariis fideles universi, praeter omnes recensitas gratias seu indulgentias de quibus iam dictum est, lucrari valent indulgentiam plenariam

non modo singulis sabbatis, sed etiam ceteris diebus per integrum Annum Marianum, dummodo sint 1° rite confessi; 2° sacris Epulis refecti; 3° Sanctuarium visitaverint; 4° ad mentem Summi Pontificis preces fuderint.

Confessio *expresse* requiritur. Idcirco ab eo etiam facienda est, qui non habet grave peccatum; absolutio tamen necessaria non est (S. C. Indulg. 19 maii 1795, 15 dec. 1841, 6 maii 1852, ad IV; *Decreta auth.* nn. 214, 295, 359).

Attamen valet principium de quo in can. 831, § 3, scil. *actualis* confessio non requiritur ab iis, qui solent saltem bis in mente confiteri, vel quotidie aut fere quotidie in statu gratiae cum recta piaque mente ad Sacram Communionem accedere.

De Communione, visitatione et precibus huc spectant, quae supra dicta fuerunt.

Indulgentia acquiri potest *semel* dumtxat in die quia aliud expresse non cavetur; ideoque valet norma generalis (can. 928, § 1). Ista tamen indulgentia cum aliis cumulari potest, servatis servandis.

Quae omnes indulgentiae in Decreto recensitae defunctis applicabiles sunt.

7. Confessarii ex can. 935 « pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta, possunt in alia commutare pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeant ».

Haec facultas valetne etiam pro lucrandis indulgentiis recensitis in praefato Decreto S. Paenitentiariae? Nulla videtur solida ratio ambigendi, tum quia citatus can. 935 est omnino generalis ac propterea exceptiones et limitationes excludit, tum quia confessariorum facultas valet etiam pro indulgentia Portiunculae (Pontif. Comm. Codicis, 19 ian. 1940); *A.A.S.*, XXXII, p. 62), pro acquiparatis ac pro ipsa indulgentia iubilaei. Merito in casu paritas urgenda.

Impedimentum potest esse physicum vel morale, cuiuslibet generis, moraliter aestimandum, Commutatio respicere valet quaelibet opera, v. g. visitationem templi, preces, etc. Confessarius debet esse approbatus *in loco* ubi fit commutatio, eaque concedi potest tantum pro iis personis, pro quibus est approbatus ad audiendas confessiones. Commutatio concedi potest in foro interno, sive sacramentali sive non-sacramentali.

F. M. CAPPELLO S. I.

24 - Commissio Pontificia de Re Biblica

(*AAS.* XXXXV [30 iun. 1953] p. 432)

DECLARATIO

DE LIBRO R. D. BERNARDI BONKAMP, CUI TITULUS: DIE PSALMEN

« Opus a R. D. Bernardo Bonkamp editum: *Die Psalmen nach dem hebräischen Grundtext. Mit einem Vorwort von Univ. Prof. Dr. A. Allgeier. Verlag Wilhelm Visarius, Freiburg i. Br.* (*Imprimatur*: *Freiburg, 9. Februar 1949*), *VI, 634 pp.,* non satisfacit legibus hermeneuticis catholicis, sed posthabitis traditione catholica et normis Magisterii ecclesiastici, innititur magna ex parte criteriis subiectivis et prorsus arbitrariis. Quare illud opus in Seminaria et in Collegia religiosorum ne introducatur ».

Die autem 9 Iunii 1953, in audientia infrascripto Consultori ab Actis benigne concessa, Ss.mus Dominus Noster Pius Pp. XII praedictam Declarationem ratam habuit et publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 9 Iunii a. 1953.

Athanasius Miller, O. S. B., *Consultor ab Actis*

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

P. Philippus Aguirre S. I., Prof. iur. pub. et concord. in Pont. Univ. Gregoriana.

Dr. P. L. Bender O. P., Prof. iur. can. in Pont. Inst. « Angelicum ».

P. Felix M. Cappello S. I., Prof. iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. Ioannes A. Eguren S. I., Prof. theol. mor.

P. Michael Fábregas S. I., Prof. theol. mor. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. Petrus Huizing S. I., Prof. hist. iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. Franciscus X. Hürth S. I., Prof. theol. mor. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. Iosephus Mors S. I., Prof. theol.

P. Hermannus Schmidt S. I., Prof. liturg. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. Stephanus Tumbas S. I., Prof. theol. mor.

P. Antonius Wuyts S. I., Prof. iur. can. orient. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. Marcellinus Zalba S. I., Prof. theol. mor. in Coll. Max. Oniensi.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

INDEX MONUMENTORUM

Pag.

SS. D. N. PIUS PP. XII

S. S. Congregatio S. Officii

INDEX ALPHABETICUS RERUM

Pretium subnotationis annuae

In Italia L. 900; extra Italiam 2,50 doll.

Approbantibus Superioribus Ecclesiasticis

P. Vincenzo Monachino S. I., Direttore responsabile

Typis Pontificiae Universitatis Gregorianae, 1953